we were born as priests: for this reason it is both a pleasure and a duty to gather once again in the Upper Room and to remind one another with heartfelt gratitude of the lofty mission which we share.

2. We were born from the Eucharist. If we can truly say that the whole Church lives from the Eucharist ("*Ecclesia de Eucharistia vivit*"), as I reaffirmed in my recent Encyclical, we can say the same thing about the ministerial priesthood: it is born, lives, works and bears fruit "*de Eucharistia*".[3] "There can be no Eucharist without the priesthood, just as there can be no priesthood without the Eucharist".[4]

The ordained ministry, which may never be reduced to its merely functional aspect since it belongs on the level of "being", enables the priest to act *in persona Christi* and culminates in the moment when he consecrates the bread and wine, repeating the actions and words of Jesus during the Last Supper.

Before this extraordinary reality we find ourselves amazed and overwhelmed, so deep is the humility by which God "stoops" in order to unite himself with man! If we feel moved before the Christmas crib, when we contemplate the Incarnation of the Word, what must we feel before the altar where, by the poor hands of the priest, Christ makes his Sacrifice present in time? We can only fall to our knees and silently adore this supreme mystery of faith.

3. "*Mysterium fidei*", the priest proclaims after the consecration. The Eucharist is a mystery of faith, yet the priesthood itself, by reflection, is also a mystery of faith.[5] The same mystery of sanctification and love, the work of the Holy Spirit, which makes the bread and wine become the Body and Blood of Christ, is at work in the person of the minister at the moment of priestly ordination. There is a particular interplay between the Eucharist and the priesthood, an interplay which goes back to the Upper Room: these two Sacraments were born together and their destiny is indissolubly linked until the end of the world.

Here we touch on what I have called the "*apostolicity of the Eucharist*".[6] The sacrament of the Eucharist—like the sacrament of Reconciliation—was entrusted by Christ to the Apostles and has been passed down by them and

[3] Cf. Council of Trent, Sess. XXII, canon 2: *DS* 1752.

[4] Cf. *Gift and Mystery. On the Fiftieth Anniversary of My Priestly Ordination*, New York, 1996, pp. 77-78.

[5] Cf. *ibid.*, p. 78.

[6] Cf. Encyclical *Ecclesia de Eucharistia*, 26-33.

their successors in every generation. At the beginning of his public life, the Messiah called the Twelve, appointed them "*to be with him*" and sent them out on mission.[7] At the Last Supper, this "being with" Jesus on the part of the Apostles reached its culmination. By celebrating the Passover meal and instituting the Eucharist, the divine Master brought their vocation to its fulfilment. By saying "*Do this in memory of me*", he put a Eucharistic seal on their mission and, by uniting them to himself in sacramental communion, he charged them to perpetuate that most holy act in his memory.

As he pronounced the words "*Do this...*" Jesus' thoughts extended to the successors of the Apostles, to those who would continue their mission by distributing the food of life to the very ends of the earth. In some way, then, dear brother priests, in the Upper Room we too were called personally, each one of us, "with brotherly love" (*Preface of the Chrism Mass*), to receive from the Lord's sacred hands the Eucharistic Bread and to break it as food for the People of God on their pilgrim way through time towards our heavenly homeland.

4. The Eucharist, like the priesthood, is a gift from God "which radically transcends the power of the assembly" and which the assembly "receives through episcopal succession going back to the Apostles".[8] The Second Vatican Council teaches that "the ministerial priest, by the sacred power that he enjoys ... effects the Eucharistic Sacrifice in the person of Christ and offers it to God in the name of all the people".[9] The assembly of the faithful, united in faith and in the Spirit and enriched by a variety of gifts, even though it is the place where Christ "is present in his Church, especially in her liturgical celebrations,[10] is not by itself able to celebrate the Eucharist or to provide the ordained minister.

Quite rightly, then, the Christian people gives thanks to God for the gift of the Eucharist and the priesthood, while praying unceasingly that priests will never be lacking in the Church. The number of priests is never sufficient to meet the constantly increasing demands of evangelization and the pastoral care of the faithful. In some places of the world the shortage of priests is all the more urgently felt since today the number of priests is dwindling without sufficient replacements from the younger generation. In other places, thank God, we see a promising spring-time of vocations. There is also a growing

[7] Cf. *Mk* 3:14-15.

[8] Encyclical *Ecclesia de Eucharistia*, 29.

[9] Dogmatic Constitution *Lumen gentium*, 10.

[10] Constitution *Sacrosanctum Concilium*, 7.

awareness among the People of God of the need to pray and work actively to promote vocations to the priesthood and to the consecrated life.

5. Vocations are indeed a gift from God for which we must pray unceasingly. Following the invitation of Jesus, we need to pray the Lord of the harvest to send out labourers into his harvest.[11] Prayer, enriched by the silent offering of suffering, remains the first and most effective means of *pastoral work for vocations*. To pray means to keep our gaze fixed on Christ, confident that from him, the one High Priest, and from his divine oblation, there will be an abundant growth, by the work of the Holy Spirit, of the seeds of those vocations needed in every age for the Church's life and mission.

Let us pause in the Upper Room and contemplate the Redeemer who instituted the Eucharist and the priesthood at the Last Supper. On that holy night he *called by name* each and every priest in every time. He looked at each one of them with the same look of loving encouragement with which he looked at Simon and Andrew, at James and John, at Nathanael beneath the fig tree, and at Matthew sitting at the tax office. Jesus has called us and, along a variety of paths, he continues to call many others to be his ministers.

From the Upper Room Christ tirelessly seeks and calls. Here we find the origin and the perennial source of an authentic pastoral promotion of priestly vocations. Let us consider ourselves, my brothers, the first ones responsible in this area, ready to help all those whom Christ wishes to associate to his priesthood to respond generously to his call.

First, however, and more than any other effort on behalf of vocations, our personal fidelity is indispensable. What counts is our personal commitment to Christ, our love for the Eucharist, our fervour in celebrating it, our devotion in adoring it and our zeal in offering it to our brothers and sisters, especially to the sick. Jesus the High Priest continues personally to call new workers for his vineyard, but he wishes from the first to count on our active cooperation. Priests in love with the Eucharist are capable of communicating to children and young people that "*Eucharistic amazement*" which I have sought to rekindle with my Encyclical *Ecclesia de Eucharistia*.[12] Generally these are the priests who lead them to the path of the priesthood, as the history of our own vocations might easily show.

[11] Cf. *Mt* 9:37.
[12] Cf. No. 6.

6. In the light of this, dear brother priests, I would ask you, among other initiatives, to *show special care for altar servers,* who represent a kind of "garden" of priestly vocations. The group of altar servers, under your guidance as part of the parish community, can be given a valuable experience of Christian education and become a kind of pre-seminary. Help the parish, as a family made up of families, to look upon the altar servers as their own children, like "*olive shoots around the table*" of Jesus Christ, the Bread of Life.[13]

With the help of the families most involved and catechists, be particularly concerned for the group of servers so that, through their service at the altar, each of them will learn to grow in love for the Lord Jesus, to recognize him truly present in the Eucharist and to experience the beauty of the liturgy. Initiatives for altar servers on the diocesan or local level should be promoted and encouraged, with attention to the different age groups. During my years of episcopal ministry in Krakow I was able to see the great benefits which can accrue from a concern for their human, spiritual and liturgical training. When children and young people serve at the altar with joy and enthusiasm, they offer their peers an eloquent witness to the importance and beauty of the Eucharist. Thanks to their own lively imagination and the explanations and example given by priests and their older friends, even very young children can grow in faith and develop a love for spiritual realities.

Finally, never forget that you yourselves are the first "Apostles" of Jesus the High Priest. Your own witness counts more than anything else. Altar servers see you at the regular Sunday and weekday celebrations; in your hands they see the Eucharist "take place", on your face they see its mystery reflected, and in your heart they sense the summons of a greater love. May you be for them fathers, teachers and witnesses of Eucharistic piety and holiness of life!

7. Dear brother priests, your particular mission in the Church requires that you be "friends" of Christ, constantly contemplating his face with docility at the school of Mary Most Holy. Pray unceasingly, as the Apostle exhorts,[14] and encourage the faithful to pray for vocations, for the perseverance of those called to the priestly life and for the sanctification of all priests. Help your communities to love ever more fully that unique "gift and mystery" which is the ministerial priesthood.

[13] Cf. *Ps* 127:3.
[14] Cf. *1 Th* 5:17.

In the prayerful setting of Holy Thursday, I would recall once again some invocations of the Litany of Jesus Christ Priest and Victim,[15] which I have recited for many years with great spiritual profit:

Iesu, Sacerdos et Victima,

Iesu, Sacerdos qui in novissima Cena formam sacrificii perennis instituisti,

Iesu, Pontifex ex hominibus assumpte,

Iesu, Pontifex pro hominibus constitute,

Iesus, Pontifex qui tradidisti temetipsum Deo oblationem et hostiam,

miserere nobis!

Ut pastores secundum cor tuum populo tuo providere digneris,

ut in messem tuam operarios fideles mittere digneris,

ut fideles mysteriorum tuorum dispensatores multiplicare digneris,

Te rogamus, audi nos!

8. I entrust each of you and your daily ministry to Mary, Mother of Priests. During the recitation of the Rosary, the fifth *mystery of light* leads us to contemplate with Mary's eyes the gift of the Eucharist, to marvel at the love that Jesus showed "*to the end*" [16] in the Upper Room, and at his humble presence in every tabernacle. May the Blessed Virgin obtain for you the grace never to take for granted the mystery put in your hands. With endless gratitude to the Lord for the amazing gift of his Body and Blood, may you persevere faithfully in your priestly ministry.

Mary, Mother of Christ our High Priest, pray that the Church will always have numerous and holy vocations, faithful and generous ministers of the altar!

Dear brother priests, I wish you and your communities a Holy Easter and to all of you I affectionately impart my blessing.

From the Vatican, on 28 March, the Fifth Sunday of Lent, in the year 2004, the twenty-sixth of my Pontificate.

IOANNES PAULUS PP. II

[15] Cf. *Gift and Mystery*, pp. 108-114.

[16] *Jn* 13:1.

II

Die Paschatis missus.*

1. «Resurrexit, alleluia — È risorto, alleluia!». Anche quest'anno l'annuncio gioioso della Pasqua, risonato con potenza nella Veglia di questa notte, viene a rendere più salda la nostra speranza. «Perché cercate tra i morti colui che è vivo? Non è qui, è risuscitato».[1] Così l'Angelo rincuora le donne accorse al sepolcro. Così ripete la liturgia pasquale a noi, uomini e donne del terzo millennio: Cristo è risorto, Cristo è vivo tra noi! Il suo nome ormai è «il Vivente», la morte non ha più alcun potere su di lui.[2]

2. *Resurrexit!* Oggi Tu, Redentore dell'uomo, dal sepolcro ti ergi vittorioso per offrire anche a noi, turbati da tante ombre che incombono, il tuo augurio di gioia e di pace. A Te, o Cristo, nostra vita e nostra guida, si volga chi è tentato dallo sconforto e dalla disperazione, per udire l'annuncio della speranza che non delude. In questo giorno del tuo trionfo sulla morte, l'umanità trovi in Te, o Signore, il coraggio di opporsi in modo solidale ai tanti mali che l'affliggono. Trovi in particolare la forza di far fronte al disumano, e purtroppo dilagante, fenomeno del terrorismo, che nega la vita e rende torbida e insicura l'esistenza quotidiana di tanta gente laboriosa e pacifica. La tua sapienza illumini gli uomini di buona volontà nel doveroso impegno contro questo flagello.

3. L'opera delle istituzioni nazionali e internazionali affretti il superamento delle presenti difficoltà e favorisca il progresso verso un'organizzazione più ordinata e pacifica del mondo. Trovi conferma e sostegno l'azione dei responsabili per una soluzione soddisfacente dei persistenti conflitti, che insanguinano alcune regioni dell'Africa, l'Iraq e la Terra Santa. Tu, primogenito di molti fratelli, fa' che tutti coloro che si sentono figli di Abramo riscoprano la fraternità che li accomuna e li spinge a propositi di cooperazione e di pace.

4. Ascoltate voi tutti che avete a cuore il futuro dell'uomo! Ascoltate uomini e donne di buona volontà! La tentazione della vendetta ceda il passo al coraggio del perdono; la cultura della vita e dell'amore renda vana la logica della morte; la fiducia torni a dar respiro alla vita dei popoli. Se unico è il

* Die 11 Aprilis 2004.

[1] *Lc* 24, 5-6.

[2] Cfr *Rm* 6, 9.

nostro avvenire, è impegno e dovere di tutti costruirlo con paziente e solerte lungimiranza.

5. «Signore, da chi andremo?». Tu che hai vinto la morte, Tu solo «hai parole di vita eterna».[3] A Te noi leviamo con fiducia la nostra preghiera, che diventa invocazione di conforto per i familiari delle tante vittime della violenza. Aiutaci a lavorare senza sosta all'avvento di quel mondo più giusto e solidale che, risorgendo, Tu hai inaugurato. Ci è accanto in questo impegno «Colei che ha creduto nell'adempimento delle parole del Signore».[4] Beata Te, Maria, silenziosa testimone della Pasqua! Tu, Madre del Crocifisso risorto, che nell'ora del dolore e della morte hai tenuto accesa la fiamma della speranza, insegna anche a noi ad essere, tra le contraddizioni del tempo che passa, testimoni convinti e gioiosi del perenne messaggio di vita e di amore portato nel mondo dal Redentore risorto.

[3] *Gv* 6, 68.
[4] *Lc* 1, 45.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

INSTRUCTIO

De quibusdam observandis et vitandis circa sanctissimam Eucharistiam.

PROOEMIUM

1. Redemptionis sacramentum [1] Mater Ecclesia in sanctissima Eucharistia firma fide agnoscit laetanterque accipit, celebrat et adoranter veneratur, Christi Iesu mortem annuntians eiusque resurrectionem confitens, donec ipse in gloria veniat,[2] ut, Dominus et Dominator invictus, Sacerdos aeternus et universorum Rex, regnum veritatis et vitae maiestati immensae omnipotentis Patris tradat.[3]

2. Doctrina Ecclesiae de sanctissima Eucharistia, in qua continetur totum bonum spirituale Ecclesiae, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum,[4] quae totius vitae christianae fons est et culmen [5] et cuius causalis impulsus sub ipsis Ecclesiae originibus subest,[6] sollicita cura magnaque auctoritate decursu saeculorum in scriptis Conciliorum et Summorum Pontificum exposita est. Novissime autem in Litteris Encyclicis «*Ecclesia de Eucharistia*» Summus

[1] Cf. MISSALE ROMANUM, *ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, Ioannis Pauli PP. II cura recognitum*, editio typica tertia, diei 20 aprilis 2000, Typis Vaticanis, 2002, Missa votiva de Dei misericordia, oratio super oblata, p. 1159.

[2] Cf. *1 Cor* 11, 26; MISSALE ROMANUM, Prex Eucharistica, acclamatio post consecrationem, p. 576; IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, diei 17 aprilis 2003, nn. 5, 11, 14, 18: AAS 95 (2003) pp. 436, 440-441, 442, 445.

[3] Cf. *Is* 10, 33; 51, 22; MISSALE ROMANUM, In sollemnitate Domini nostri Iesu Christi, universorum Regis, Praefatio, p. 499.

[4] Cf. *1 Cor* 5, 7; CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, diei 7 decembris 1965, n. 5; IOANNES PAULUS PP. II, Adh. Ap., *Ecclesia in Europa*, diei 28 iunii 2003, n. 75: AAS 95 (2003) pp. 649-719, hic p. 693.

[5] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, diei 21 novembris 1964, n. 11.

[6] Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, diei 17 aprilis 2003, n. 21: AAS 95 (2003) p. 447.

Pontifex Ioannes Paulus Pp. II denuo pro aetatis nostrae adiunctis ecclesialibus elementa magni momenti eadem de re exposuit.[7]

Ut praesertim in celebratione sacrae Liturgiae etiam hodiernis diebus tantum mysterium debite tueatur Ecclesia, Summus Pontifex huic Congregationi de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum mandavit,[8] ut, collatis consiliis cum Congregatione pro Doctrina Fidei, hanc Instructionem appararet, in qua quaedam ad disciplinam Sacramenti Eucharistiae pertinentia tractarentur. Ea exinde quae in hac Instructione exhibentur in continuitate cum praedictis Litteris Encyclicis «*Ecclesia de Eucharistia*» sunt legenda.

Minime tamen in animo est in eadem summam normarum de sanctissima Eucharistia exarare, sed potius ad altam aestimationem normarum liturgicarum roborandam[9] aliqua elementa, quae in iam enuntiatis seu statutis adhuc valida habentur, hac Instructione assumere ac quaedam statuere, quibus priora explicentur et compleantur, atque Episcopis, sed etiam Presbyteris, Diaconis et omnibus christifidelibus laicis exponere, ut quisque pro officio et posse haec omnia in effectum ducat.

3. Normae, quae in hac presenti Instructione continentur, ad rem liturgicam pertinere intellegantur in Ritu Romano, et, mutatis mutandis, in ceteris Ritibus Ecclesiae Latinae iure recognitis.

4. «Nihil dubitatur quin permagnas utilitates attulerit liturgica Concilii reformatio ad magis consciam, actuosam ac fructuosam fidelium participationem sancti Sacrificii altaris».[10] Attamen «umbrae non desunt».[11] Sic taceri non possunt abusus etiam gravissimi contra naturam Liturgiae et sacramentorum necnon traditionem et auctoritatem Ecclesiae, qui nostra aetate haud raro in hoc vel illo ecclesiali ambitu celebrationes liturgicas affligunt. Aliquibus in locis abusuum patratio in re liturgica facta est veluti mos, quod patet admitti non posse et cessare debere.

5. Observatio normarum ab Ecclesiae auctoritate emanatarum conformitatem mentis et vocis, actionis externae et attentionis cordis expostulat. Observatio mere externa normarum, sicut patet, essentiae contraria esset sacrae Liturgiae, in qua Christus Dominus congregare vult Ecclesiam suam

[7] Cf. *ibidem:* AAS 95 (2003) pp. 433-475.

[8] Cf. *ibidem*, n. 52: AAS 95 (2003) p. 468.

[9] Cf. *ibidem*.

[10] *Ibidem*, n. 10: AAS 95 (2003) p. 439.

[11] *Ibidem*; cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Apost., *Vicesimus quintus annus*, diei 4 decembris 1988, nn. 12-13: AAS 81 (1989) pp. 909-910; cf. etiam Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, diei 4 decembris 1963, n. 48.

ut cum ipso fiat « unum corpus et unus spiritus ».[12] Quapropter actio externa illuminata esse debet fide et caritate, quae nos cum Christo et ad invicem uniunt caritatemque pro pauperibus et derelictis creant. Verba autem et ritus liturgici expressio fidelis per saecula maturata sensus Christi sunt, nosque sentire docent sicut ipse;[13] verbis illis conformantes nostram mentem, corda nostra elevamus ad Dominum. Quaecumque in hac Instructione dicuntur ad hanc conformationem sensus nostri cum sensu Christi, in verbis et ritibus liturgiae expresso, ducere intendunt.

6. Qui enim abusus « ad rectam obscurandam fidem doctrinamque catholicam super hoc mirabili Sacramento aliquid conferunt ».[14] Sic impeditur etiam ne « vivere rursus quodammodo » possint « fideles experientiam duorum discipulorum de Emmaus: "Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum" ».[15] Quia coram Dei virtute et divinitate[16] ac splendore eius bonitatis praesertim in Sacramento Eucharistiae manifestae, decet omnes fideles habere et exercere sensum illum confitendae Dei maiestatis, quem per Filii Unigeniti salutiferam passionem acceperunt.[17]

7. Abusus haud raro in falso libertatis sensu radicem habent. Attamen Deus nobis in Christo non illam illusoriam libertatem concedit, qua quod volumus faciamus sed libertatem, qua id facere possimus quod dignum et iustum est.[18] Valet quidem hoc non de praeceptis tantum a Deo directe manantibus, verum etiam, cuiusque normae congruenter aestimata indole, de legibus ab Ecclesia promulgatis. Unde omnes ordinationibus a legitima auctoritate ecclesiastica statutis oportet se conforment.

8. Magna deinde cum tristitia notandum est quod « incepta oecumenica, quantumvis voluntate nobilia, passim consuetudinibus eucharisticis indulgent disciplinae illi contrariis qua suam exprimit Ecclesia fidem ». Attamen donum Eucharistiae « nimis magnum est ut ambiguitates et imminutiones perferat ». Unde convenit aliqua corrigi et pressius definiri, ut etiam hac in re « omni in sui mysterii fulgore Eucharistia resplendere pergat ».[19]

[12] Missale Romanum, Prex Eucharistica III, p. 588; cf. *1 Cor* 12, 12-13; *Eph* 4, 4.

[13] Cf. *Philp* 2, 5.

[14] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 10: AAS 95 (2003) p. 439.

[15] *Ibidem*, n. 6: AAS 95 (2003) p. 437; cf. *Lc* 24, 31.

[16] Cf. *Rom* 1, 20.

[17] Cf. Missale Romanum, Praefatio I de Passione Domini, p. 528.

[18] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Veritatis splendor*, diei 6 augusti 1993, n. 35: AAS 85 (1993) pp. 1161-1162; Homilia apud Camden Yards habita, diei 9 octobris 1995, n. 7: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVII, 2 (1995), Libreria Editrice Vaticana, 1998, p. 788.

[19] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 10: AAS 95 (2003) p. 439.

9. Abusus tandem saepius in ignorantiam nituntur, quia id plerumque reicitur, cuius sensus profundior minime comprehenditur nec antiquitas cognoscitur. Nam funditus ex ipsius sacrae Scripturae « afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt, et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt ».[20] Quoad signa visibilia, « quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt ».[21] Sacrarum demum celebrationum structurae et formae, pro uniuscuiusque Ritus sive Orientis sive Occidentis traditione, cum Ecclesia universali concordant, etiam quoad usus universaliter acceptos ab apostolica et continua traditione,[22] quos Ecclesiae est futuris generationibus fideliter ac sollicite tradere. Haec omnia a normis liturgicis sapienter custodiuntur et proteguntur.

10. Ipsa Ecclesia nullam habet potestatem circa ea, quae a Christo sunt statuta et quae Liturgiae partem immutabilem constituunt.[23] Si autem vinculum frangeretur, quod sacramenta habent cum ipso Christo, qui ea instituit, et cum eventibus, quibus Ecclesia fundata est,[24] id nihil fidelibus prodesset, sed eis graviter noceret. Sacra enim Liturgia cum doctrinae principiis arctissime coniungitur,[25] unde usus textuum rituumque non approbatorum eo perducit, ut necessarius ille nexus inter *legem orandi* et *legem credendi* aut deminuatur aut evanescat.[26]

[20] Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 24; cf. Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Instr., *Varietates legitimae*, diei 25 ianuarii 1994, nn. 19 et 23: AAS 87 (1995) pp. 295-296, 297.

[21] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 33.

[22] Cf. S. Irenaeus, *Adversus Haereses*, III, 2: SCh., 211, 24-31; S. Augustinus, *Epistula ad Ianuarium*, 54, I: PL 33, 200: «Illa autem quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intellegi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri»; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Redemptoris missio*, diei 7 decembris 1990, nn. 53-54: AAS 83 (1991) pp. 300-302; Congr. pro Doctr. Fidei, Litt. ad catholicae Ecclesiae episcopos de aliquibus aspectibus Ecclesiae prout est communio *Communionis notio*, diei 28 maii 1992, nn. 7-10: AAS 85 (1993) pp. 842-844; Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Instr., *Varietates legitimae*, n. 26: AAS 87 (1995) pp. 298-299.

[23] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 21.

[24] Cf. Pius PP. XII, Const. Ap., *Sacramentum Ordinis*, diei 30 novembris 1947: AAS 40 (1948) p. 5; Congr. pro Doctr. Fidei, Decl., *Inter insigniores*, diei 15 octobris 1976, pars IV: AAS 69 (1977) pp. 107-108; Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Instr., *Varietates legitimae*, n. 25: AAS 87 (1995) p. 298.

[25] Cf. Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei*, diei 20 novembris 1947: AAS 39 (1947) p. 540.

[26] Cf. S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, diei 3 aprilis 1980: AAS 72 (1980) p. 333.

11. Mysterium Eucharistiae maius est « quam ut quisquam sibi permittat proprio id arbitratu tractare, unde nec sacra eius natura observetur nec universalis ratio ».[27] Qui e contra ita agit, etiamsi Sacerdos sit, suo indulgens ingenio, substantialem unitatem Ritus Romani, quae strenue servanda est,[28] offendit et actiones patrat, quae nullo modo cum fame ac siti Dei vivi congruunt, quas populus aetatis nostrae experitur, nec authenticae navitati pastorali aut rectae renovationi liturgicae inservit, sed potius christifideles patrimonio et hereditate eorum defraudat. Acta enim arbitraria verae renovationi non prosunt,[29] sed laedunt verum christifidelium ius ad actionem liturgicam, quae Ecclesiae vitae expressio est, iuxta eiusdem traditionem ac disciplinam. Elementa tandem deformationis et discordiae in ipsam celebrationem Eucharistiae inferunt, quae eminenti modo atque natura sua eo tendit, ut significetur et mirabiliter efficiatur communio vitae divinae et unitas populi Dei.[30] Hinc consequuntur incertitudo quoad doctrinam, dubitatio et scandalum populi Dei atque, paene necessarie, repugnationes violentae, quae omnia in nostra aetate, ubi saepe vita christiana etiam ob « saecularizationis » ventus perdifficilis evadit, christifideles multos vehementer confundunt et contristant.[31]

12. Christifideles e contra omnes iure fruuntur veram habendi liturgiam et particulari modo sanctae Missae celebrationem, quae talis sit ac Ecclesia voluit et statuit, sicut in libris liturgicis aliisque legibus ac normis praescribitur. Item populus catholicus ius habet, ut pro eo celebretur sanctae Missae Sacrificium modo integro, secundum plenam doctrinam Magisterii Ecclesiae. Tandem est communitatis catholicae ius celebrationem sanctissimae Eucharistiae pro ea ita peragi, ut vere sacramentum unitatis appareat, omnino exclusis vitiis et gestibus cunctis, qui divisiones atque factiones in Ecclesia parere possint.[32]

[27] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 52: AAS 95 (2003) p. 468.

[28] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 4, 38; Decr. de Ecclesiis Orientalibus Catholicis *Orientalium Ecclesiarum*, diei 21 novembris 1964, nn. 1, 2, 6; Paulus PP. VI, Const. Ap., *Missale Romanum:* AAS 61 (1969) pp. 217-222; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 399; Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Instr., *Liturgiam authenticam*, diei 28 martii 2001, n. 4: AAS 93 (2001) pp. 685-726, hic p. 686.

[29] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Adh. Ap., *Ecclesia in Europa*, n. 72: AAS 95 (2003) p. 692.

[30] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 23: AAS 95 (2003) pp. 448-449; S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, diei 25 maii 1967, n. 6: AAS 59 (1967) p. 545.

[31] Cf. S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum:* AAS 72 (1980) pp. 332-333.

[32] Cf. *1 Cor* 11, 17-34; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 52: AAS 95 (2003) pp. 467-468.

13. Normae et monitiones hac in Instructione expositae omnes, etsi variis modis, cum munere Ecclesiae coniunguntur, cui spectat de recta et digna celebratione huius magni mysterii vigilare. De variis gradibus, quibus singulae normae supremae legi totius iuris ecclesiastici, id est curae pro salute animarum, uniuntur, ultimum huius Instructionis capitulum agit.[33]

Caput I

DE SACRAE LITURGIAE MODERATIONE

14. « Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet, quae quidem est apud Apostolicam Sedem et, ad normam iuris, apud Episcopum ».[34]

15. Romanus Pontifex, « Vicarius Christi atque universae Ecclesiae his in terris Pastor, [...] vi muneris sui suprema, plena, immediata et universali in Ecclesia gaudet ordinaria potestate, quam semper libere exercere valet »,[35] etiam communicans cum pastoribus et gregibus.

16. Apostolicae Sedis est sacram Liturgiam Ecclesiae universae ordinare, libros liturgicos edere eorumque versiones in linguas vernaculas recognoscere, necnon advigilare ut ordinationes liturgicae, eaeque praesertim quibus augustissimi Sacrificii Missae celebratio moderatur, ubique fideliter observentur.[36]

17. Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum « ea agit quae, salva competentia Congregationis de Doctrina Fidei, ad Sedem Apostolicam pertinent quoad moderationem ac promotionem sacrae Liturgiae, in primis Sacramentorum. Sacramentorum disciplinam, praesertim quod attinet ad eorum validitatem et licitam celebrationem, fovet atque tuetur ». Demum « attente invigilat ut ordinationes liturgicae adamussim serventur, abusus praecaveantur iidemque, ubi deprehendantur, exstirpentur ».[37] Qua in re, iuxta universae Ecclesiae traditionem, praeeminet sollicitudo de celebra-

[33] Cf. *Codex Iuris Canonici*, diei 25 ianuarii 1983, can. 1752.

[34] Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 22 § 1. Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 838 § 1.

[35] *Codex Iuris Canonici*, can. 331; cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 22.

[36] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 838 § 2.

[37] Ioannes Paulus PP. II, Const. Ap., *Pastor bonus*, diei 28 iunii 1988: AAS 80 (1988) pp. 841-924; hic artt. 62, 63, et 66, pp. 876-877.

tione sanctae Missae et de cultu, qui sanctissimae Eucharistiae etiam extra Missam tribuitur.

18. Ius habent christifideles, ut auctoritas ecclesiastica plene et efficaciter moderationem sacrae Liturgiae agat, ne liturgia umquam esse videatur « privata alicuius proprietas, neque ipsius celebrantis neque communitatis ubi Mysteria celebrantur ».[38]

1. De Episcopo dioecesano, sacerdote magno sui gregis

19. Episcopus dioecesanus, primus mysteriorum Dei dispensator in Ecclesia particulari sibi commissa, moderator est, promotor et custos totius vitae liturgicae.[39] Nam « Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est "oeconomus gratiae supremi sacerdotii" [40] praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat,[41] et qua continuo vivit et crescit Ecclesia ».[42]

20. Praecipua enim manifestatio Ecclesiae habetur quoties Missarum sollemnia et quidem praesertim in ecclesia cathedrali celebrantur, « in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei, [...] in una oratione, ad unum altare, cui praeest Episcopus » a suo presbyterio, Diaconis et ministris circumdatus.[43] Praeterea, omnis « legitima Eucharistiae celebratio dirigitur ab Episcopo, cui officium commissum est cultum christianae religionis Divinae Maiestati deferendi atque administrandi secundum praecepta Domini et Ecclesiae leges, eius particulari iudicio ulterius pro dioecesi determinatas ».[44]

[38] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 52: AAS 95 (2003) p. 468.

[39] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus*, diei 28 octobris 1965, n. 15; cf. etiam Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41; *Codex Iuris Canonici*, can. 387.

[40] Oratio consecrationis episcopalis in ritu byzantino: *Euchologion to mega*, Romae, 1873, p. 139.

[41] Cf. S. Ignatius Antiochenus, *Ad Smyrn.* 8, 1: ed. F.X. Funk, I, p. 282.

[42] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26; cf. S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 7: AAS 59 (1967) p. 545; cf. etiam Ioannes Paulus PP. II, Adh. Ap., *Pastores gregis*, diei 16 octobris 2003, nn. 32-41: *L'Osservatore romano*, diei 17 octobris 2003, pp. 6-8.

[43] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41; cf. S. Ignatius Antiochenus, *Ad Magn.* 7; *Ad Philad.* 4; *Ad Smyrn.* 8: ed. F.X. Funk, I, pp. 236, 266, 281; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 22; cf. etiam *Codex Iuris Canonici*, can. 389.

[44] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.

21. Ad Episcopum enim « dioecesanum in Ecclesia sibi commissa pertinet, intra limites suae competentiae, normas de re liturgica dare, quibus omnes tenentur ».[45] Episcopus tamen semper prae oculis habeat, quod non tollatur illa libertas, quae a normis librorum liturgicorum praevidetur, aptandi, modo intelligenti, celebrationem sive ecclesiae sive coetui fidelium sive rerum adiunctis pastoralibus, ita ut sacer ritus universus sit revera ad mentem hominum accommodatus.[46]

22. Episcopus Ecclesiam particularem ipsi commissam regit[47] eiusque est moderari, dirigere, instimulare, quandoque etiam arguere,[48] sacrum munus, quod per ordinationem episcopalem accepit,[49] ad gregem suum in veritate et sanctitate aedificandum explens.[50] Illustret genuinum sensum rituum et textuum liturgicorum atque in Presbyteris, Diaconis et christifidelibus laicis spiritum sacrae Liturgiae alat,[51] ut hi omnes ad actuosam et fructuosam Eucharistiae celebrationem ducantur,[52] pariterque consulat, ut universum Ecclesiae corpus eadem mente, in unitate caritatis, procedere valeat in dioecesi, in natione, in mundo.[53]

23. Fideles « Episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Iesu Christo et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant et abundent in gloriam Dei ».[54] Omnes, etiam sodales Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae, cunctarumque consociationum vel motuum ecclesialium cuiusvis generis, auctoritati Episcopi dioecesani quoad rem liturgicam in omnibus subiciuntur,[55] salvis iuribus legitime concessis. Episcopo igitur dioecesano competit ius et officium invigilandi et invisendi de re liturgica ecclesias et oratoria in suo territorio sita, ea etiam quae a praedictorum

[45] *Codex Iuris Canonici*, can. 838 § 4.

[46] Cf. Cons. ad exsequ. Const. Lit., Dubium: *Notitiae* 1 (1965) p. 254.

[47] Cf. *Act* 20, 28; Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, nn. 21 et 27; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 3.

[48] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr., *Liturgicae instaurationes*, diei 5 septembris 1970: AAS 62 (1970) p. 694.

[49] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 21; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 3.

[50] Cf. Caeremoniale Episcoporum *ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Ioannis Pauli PP. II promulgatum*, editio typica, diei 14 septembris 1984, Typis Polyglottis Vaticanis, 1985, n. 10.

[51] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 387.

[52] Cf. *ibidem*, n. 22.

[53] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr., *Liturgicae instaurationes:* AAS 62 (1970) p. 694.

[54] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 27; cf. *2 Cor* 4, 15.

[55] Cf. *Codex Iuris Canonici*, cann. 397 § 1; 678 § 1.

institutorum sodalibus condita sint aut dirigantur, si eis christifideles habitualiter accedunt.[56]

24. Pro parte sua, populus christianus ius habet, ut Episcopus dioecesanus advigilet ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa ministerium verbi, celebrationem sacramentorum et sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum.[57]

25. Commissiones vel consilia seu comitatus ab Episcopo instituta, ut ad rem « liturgicam provehendam, musicam simul et artem sacram in eius dioecesi » conferant, ad mentem agent et normas Episcopi eiusque auctoritati et confirmationi confidere debebunt, ut convenienter suum expleant officium[58] et effectivum regimen Episcopi in dioecesi sua servetur. De omnibus huiusmodi coetibus ceterisque institutis et universis in re liturgica inceptis, sicut iamdudum urget, Episcopi exquirant num fructuosa[59] adhuc fuerit eorundem operatio et sedulo discernant quaenam emendationes seu mutationes in melius in eorum compositione ac navitate inducendae sint,[60] ut novum inveniant vigorem. Semper in mente teneatur, peritos eligendos esse inter eos, quorum firmitas in fide catholica atque scientia in re theologica et culturali cognoscuntur.

2. De Episcoporum Conferentia

26. Quod valet item in eas commissiones ad eandem rem pertinentes quae, exoptante Concilio,[61] a Conferentia Episcoporum institutae sunt quorumque membra oportet sint Episcopi, qui a peritis coadiuvantibus clare distinguantur. Ubi numerus membrorum Conferentiae Episcoporum non sufficit ut ex eis commode eligatur seu instituatur commissio liturgica, nominetur consilium seu coetus peritorum, qui, semper Episcopo praesidente, quantum potest eodem officio fungatur, nomen tamen « commissionis liturgicae » vitans.

[56] Cf. *ibidem*, can. 683 § 1.

[57] Cf. *ibidem*, can. 392.

[58] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Ap., *Vicesimus quintus annus*, n. 21: AAS 81 (1989) p. 917; Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 45-46; Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) p. 562.

[59] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Apost., *Vicesimus quintus annus*, n. 20: AAS 81 (1989) p. 916.

[60] Cf. *ibidem*.

[61] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 44; Congr. pro Episcopis, Ep. Praesidibus Episcoporum Conferentiarum missa nomine quoque Congr. pro Gentium Evangelizatione, diei 21 iunii 1999, n. 9: AAS 91 (1999) p. 999.

27. Cessationem omnium experimentorum quoad sacrae Missae celebrationem Sedes Apostolica iam inde ab anno 1970 notificavit [62] ac denuo anno 1988 in memoriam revocavit.[63] Proinde singuli Episcopi et eorum Conferentiae nullam facultatem habent permittendi experimenta quoad textus liturgicos et alia, quae in libris liturgicis praescribuntur. Ut huiusmodi experimenta in posterum peragi possint, requiritur licentia Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quidem in scriptis data et a Conferentiis Episcoporum petenda. Ea vero nonnisi ex gravi causa concedetur. Quoad incepta inculturationis in re liturgica stricte et integre observentur normae peculiares statutae.[64]

28. Normae omnes ad rem liturgicam pertinentes, quas pro suo territorio ad normam iuris Conferentia Episcoporum statuerit, Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum recognitioni subiciendae sunt, sine qua vim obligandi non habent.[65]

3. De Presbyteris

29. Presbyteri, ordinis episcopalis probi, providi et necessarii cooperatores [66] ad Populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium [67] cum suo Episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum. « In singulis localibus fidelium congregationibus Episcopum, quocum fidenti et magno animo consociantur, quodammodo praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem pro parte suscipiunt et cura cotidiana exercent ». Et « propter hanc in sacerdotio et missione participationem Presbyteri

[62] Cf. Congr. pro Cultu Div., Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 12: AAS 62 (1970) pp. 692-704, hic p. 703.

[63] Cf. Congr. pro Cultu Div., *Declaratio circa Preces eucharisticas et experimenta liturgica*, diei 21 martii 1988: *Notitiae* 24 (1988) pp. 234-236.

[64] Cf. Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Instr., *Varietates legitimae:* AAS 87 (1995) pp. 288-314.

[65] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 838 § 3; S. Rituum Congr., Instr. *Inter Oecumenici*, diei 26 septembris 1964 n. 31: AAS 56 (1964) p. 883; Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Instr., *Liturgiam authenticam*, nn. 79-80: AAS 93 (2001) pp. 711-713.

[66] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, diei 7 decembris 1965, n. 7; Pontificale Romanum, ed. 1962: Ordo consecrationis sacerdotalis, in Praefatione; Pontificale Romanum ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II renovatum, auctoritate Pauli PP. VI editum, Ioannis Pauli PP. II cura recognitum: De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum, editio typica altera, diei 29 iunii 1989, Typis Polyglottis Vaticanis, 1990, cap. II, De Ordin. presbyterorum, Praenotanda, n. 101.

[67] Cf. S. Ignatius Antiochenus, *Ad Philad.* 4: ed. F.X. Funk, I, p. 266; S. Cornelius PP. I apud S. Cyprianum, *Epist.* 48, 2: ed. G. Hartel, III, 2, p. 610.

Episcopum vere ut patrem suum agnoscant eique reverenter oboediant ».[68] Insuper « ad bonum autem filiorum Dei semper intenti operam suam ad opus pastorale totius dioeceseos, immo totius Ecclesiae conferre studeant ».[69]

30. Magnum est officium « quod habent in eucharistica celebratione praesertim Sacerdotes, quorum est ei praesidere "in persona Christi" et testificationem reddere et ministerium communionis non solum pro communitate perficere quae recta via particeps est celebrationis, verum etiam pro universali Ecclesia, quae in Eucharistiae causam semper involvitur. Necesse tamen est conqueri, potissimum ab annis liturgicae reformationis post Concilium Vaticanum II, non defuisse abusus propter male acceptum creationis et aptationis sensum, qui multis etiam causas attulerunt doloris ».[70]

31. Cohaerenter cum eo quod in ritu sacrae Ordinationis voverunt et decursu Missae Chrismatis quotannis renovant, Presbyteri « mysteria Christi ad laudem Dei et sanctificationem populi christiani, secundum Ecclesiae traditionem, praesertim in Eucharistiae Sacrificio et sacramento reconciliationis pie et fideliter » celebrent.[71] Nec significationem profundam proprio ministerio auferant, celebrationem liturgicam sive mutatione sive mutilatione sive additamento[72] ad arbitrium inquinantes. Dixit enim S. Ambrosius: « Non in se, [...] sed in nobis Ecclesia vulneratur. Caveamus igitur ne lapsus noster vulnus Ecclesiae fiat ».[73] Ne ergo per Sacerdotes, qui se ministerio tam sollemniter dederunt, vulneretur Ecclesia Dei. Fideliter immo sub Episcopi auctoritate invigilent, ne huiusmodi deformationes ab aliis patrentur.

32. « Consulat parochus ut sanctissima Eucharistia centrum sit congregationis fidelium paroecialis; allaboret ut christifideles, per devotam sacramentorum celebrationem, pascantur, peculiarique modo ut frequenter ad sanc-

[68] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.

[69] *Ibidem*.

[70] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 52; cf. n. 29: AAS 95 (2003) pp. 467-468; 452-453.

[71] Pontificale Romanum, De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum, editio typica altera: *De Ordinatione presbyterorum*, n. 124; cf. Missale Romanum, Feria V in Hebdomada Sancta: Ad Missam chrismatis, Renovatio promissionum sacerdotalium, p. 292

[72] Cf. Conc. Oecum. Trid., Sessio VII, diei 3 martii 1547, Decr. de Sacramentis, can. 13: DS 1613; Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 22; Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) pp. 544, 546-547, 562; *Codex Iuris Canonici*, can. 846, § 1; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 24.

[73] S. Ambrosius, *De Virginitate*, n. 48: PL 16, 278.

tissimae Eucharistiae et paenitentiae sacramenta accedant; annitatur item ut iidem ad orationem etiam in familiis peragendam ducantur atque conscie et actuose partem habeant in sacra liturgia, quam quidem, sub auctoritate Episcopi dioecesani, parochus in sua paroecia moderari debet et, ne abusus irrepant, invigilare tenetur ».[74] Quamvis convenit eum in liturgicis celebrationibus, praesertim sancta Missa, efficaciter praeparandis a variis christifidelibus coadiuvari, nullo modo tamen illis quae sunt propria officii eius hac in re cedere debet.

33. Tandem omnes « curent Presbyteri scientiam et artem liturgicam recte colere, ut suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus ».[75] Illa praesertim admiratione illoque stupore pervadantur, quem in cordibus fidelibus comparat paschale mysterium in Eucharistia celebratum.[76]

4. De Diaconis

34. Diaconi, « quibus non ad sacerdotium sed ad ministerium manus imponuntur »,[77] viri boni testimonii,[78] sic agere debent, Deo adiuvante, ut vere discipuli illius cognoscantur,[79] « qui non venit ministrari sed ministrare »[80] et fuit in medio discipulorum suorum « sicut qui ministrat ».[81] Et ipsi Spiritus Sancti dono per impositionem manuum roborati, populo Dei in communione cum Episcopo eiusque presbyterio inserviunt.[82] Habeant ergo Episcopum uti patrem et ei Presbyterisque « in ministerio verbi, altaris et caritatis » adiumentum praestent.[83]

[74] *Codex Iuris Canonici*, can. 528 § 2.

[75] Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5.

[76] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 5: AAS 95 (2003) p. 436.

[77] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 29; cf. *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae*, III, 2: ed. F.X. Funk, *Didascalia*, II, p. 103; *Statuta Ecclesiae Ant.*, 37-41: ed. D. Mansi 3, 954.

[78] Cf. *Act* 6, 3.

[79] Cf. *Io* 13, 35.

[80] *Mt* 20, 28.

[81] *Lc* 22, 27.

[82] Cf. Caeremoniale Episcoporum, nn. 9, 23. Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 29.

[83] Cf. Pontificale Romanum, De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum, editio typica altera, cap. III, *De Ordin. diaconorum*, n. 199.

35. Ne omittant umquam « mysterium fidei, ut ait Apostolus, in conscientia pura habere [84] et hanc fidem secundum Evangelium et traditionem Ecclesiae verbo et opere praedicare »,[85] sacrae Liturgiae uti fonti et culmini vitae ecclesialis toto corde, fideliter et cum humilitate inservientes, « ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent ».[86] Unde Diaconi omnes pro parte sua sese ita impendant, ut sacra Liturgia ad normam librorum liturgicorum debite approbatorum celebretur.

Caput II

DE CHRISTIFIDELIUM LAICORUM PARTICIPATIONE IN EUCHARISTIAE CELEBRATIONE

1. De actuosa et conscia participatione

36. Celebratio Missae, ut actio Christi et Ecclesiae, centrum est totius vitae christianae pro Ecclesia tum universa tum particulari ac pro singulis fidelibus,[87] quos « diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum, et actualis participationis attingit.[88] Hoc modo populus christianus, "genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis",[89] suam cohaerentem et hierarchicam ordinationem manifestat ».[90] « Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, licet essentia et non

[84] Cf. *1 Tim* 3, 9.

[85] Cf. Pontificale Romanum, De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum, editio typica altera, cap. III, *De Ordin. diaconorum*, n. 200.

[86] Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.

[87] Cf. *ibidem*, n. 41; Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 5, 6; Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus*, n. 30; Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio*, diei 21 novembris 1964, n. 15; S. Congr. Rituum, Instr., *Eucharisticum mysterium*, nn. 3 e, 6: AAS 59 (1967) pp. 542, 544-545; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 16.

[88] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 26; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 91.

[89] *1 Pe* 2, 9; cf. 2, 4-5.

[90] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 91; cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 14.

gradu tantum differant, ad invicem tamen ordinantur; unum enim et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant».[91]

37. Christifideles omnes per baptismum a peccatis suis liberati et in Ecclesia incorporati, ad cultum religionis christianae charactere deputantur,[92] ut vi regalis sui sacerdotii,[93] in oratione perseverantes et Deum collaudantes,[94] seipsos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem operibusque eorum omnibus comprobatam exhibeant,[95] ubique terrarum de Christo testimonium perhibeant, atque poscentibus rationem reddant de ea, quae in eis est, spe vitae aeternae.[96] Proinde etiam fidelium laicorum participatio in Eucharistiae ceterorumque Ecclesiae rituum celebratione non merae praesentiae et quidem passivae exaequari potest, sed vera exercitatio fidei et dignitatis baptismalis censenda est.

38. Constans proinde doctrina Ecclesiae de natura non tantum conviviali sed etiam et praecipue sacrificali Eucharistiae inter claves praecipuas ad plenam participationem tanti Sacramenti ex parte omnium fidelium recte aestimanda est.[97] «Sua enim significatione et vi sacrificii destitutum, mysterium retinetur, tamquam si sensum ac momentum alicuius fraterni convivii non excedat».[98]

39. Ad actuosam participationem promovendam et significandam recens instauratio librorum liturgicorum ad mentem Concilii populi acclamationes, responsiones, psalmodiam, antiphonas, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus fovit et sacrum silentium suo tempore servandum curavit, rubricis etiam partes fidelium praevidens.[99] Spatium insuper amplum opportuno artificio datur, quod eo innititur, ut unaquaeque celebratio participantium necessitatibus, captui, praeparationi animi et ingenio iuxta facultates normis liturgicis statutas aptetur. In cantibus, melodiis, orationibus et lectionibus biblicis seligendis, in homilia habenda, in oratione fidelium exaranda, in monitionibus interdum proferendis atque in domo ecclesiae pro singulis

[91] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 10.

[92] Cf. S. Thomas Aquinas, *Summa Theol.*, III, q. 63, a. 2.

[93] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 10; cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 28: AAS 95 (2003) p. 452.

[94] Cf. *Act* 2, 42-47.

[95] Cf. *Rom* 12, 1.

[96] Cf. *1 Pe* 3, 15; 2, 4-10.

[97] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, nn. 12-18: AAS 95 (2003) pp. 441-445; Id., Ep., *Dominicae Cenae*, 24 februarii 1980, n. 9: AAS 72 (1980) pp. 129-133.

[98] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 10: AAS 95 (2003) p. 439.

[99] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 30-31.

temporibus ornanda facultas exstat ampla in omnem celebrationem varietatem quamlibet inducendi, quo etiam divitiae traditionis liturgicae clarius appareant et, attentis necessitatibus pastoralibus, nota peculiaris celebrationi sedulo impertiatur, ita ut interioritas participantium foveatur. Memorandum tamen est actionum liturgicarum vim non contineri in ritibus frequenter mutandis, verum in verbo Dei et in mysterio, quod celebratur, altius perscrutandis.[100]

40. Attamen, quamvis liturgiae celebratio procul dubio hanc notam actuositatis omnium christifidelium habeat, non inde sequitur, ut omnibus, ratione quadam necessaria, in sensu materiali praeter gestus et corporis habitus aliquid faciendum sit, ac si singulis necessario officium quoddam liturgicum specificum absolvendum esset. Institutio catechetica sedulo potius curet, ut notiones et praxis superficiales recentioribus annis hac in re alicubi diffusae corrigantur atque in omnibus christifidelibus semper quasi ex novo hic sensus excitetur magnae admirationis coram altitudine mysterii fidei, quod est Eucharistia, in cuius celebratione Ecclesia « in novitatem a vetustate » iugiter transit.[101] In Eucharistiae celebratione enim sicut in tota vita christiana, quae ex ea virtutem haurit et ad eam tendit, Ecclesia, instar sancti Thomae apostoli, se prosternit adorans coram Domino crucifixo, passo, sepulto et resurgente « eius in splendoris divini amplitudine ac perpetuo exclamat: "Dominus meus et Deus meus!" ».[102]

41. Ad hunc sensum interiorem participationis liturgicae suscitandum, promovendum et alendum valde utilia sunt assidua et diffusa celebratio Liturgiae Horarum, usus sacramentalium exercitiaque pietatis christianae popularis. Huiusmodi exercitia, « quae, quamvis ad sacram Liturgiam de stricto iure non pertineant, peculiari tamen momento dignitateque pollent », necessitudinem quamdam cum liturgico ordine habere censenda sunt, praesertim cum ab ipso Magisterio dilaudatae et comprobatae sunt,[103] quod

[100] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 1: AAS 62 (1970) p. 695.

[101] Cf. Missale Romanum, Feria secunda post Dominica V in Quadragesima, Collecta, p. 258.

[102] Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Novo millennio ineunte*, diei 6 ianuarii 2001, n. 21: AAS 93 (2001) p. 280; cf. *Io* 20, 28.

[103] Cf. Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) p. 586; cf. etiam Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 67; Paulus PP. VI, Adh. Ap., *Marialis cultus*, diei 11 februarii 1974, n. 24: AAS 66 (1974) pp. 113-168, hic p. 134; Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., *Direttorio su pietà popolare e Liturgia*, diei 17 decembris 2001.

praecipue in marialis coronae precatione valet.[104] Cum insuper populum christianum haec pietatis opera ducant tum ad sacramenta, praecipue Eucharistiam, frequentanda, «tum ad Redemptionis nostrae mysteria meditanda et ad praeclara sanctorum caelitum imitanda exempla, idcirco, salutari non sine fructu liturgici cultus nos participes efficiunt».[105]

42. Oportet agnoscatur Ecclesiam non convenire voluntate humana, sed convocari a Deo in Spiritu Sancto et per fidem gratuitae vocationi eius respondere (namque *ekklesia necessitudinem habet cum klesis* seu vocatio).[106] Neque eucharisticum Sacrificium est existimandum ut «concelebratio» sensu univoco Sacerdotis una cum populo astanti.[107] E contra Eucharistia a Sacerdotibus celebrata donum est «quod auctoritatem communitatis funditus excedat [...] Communitati sese colligenti ad Eucharistiam celebrandam opus omnino est ordinato Sacerdote, qui ei praesideat ut re vera eucharistica convocatio esse possit. Aliunde sibi ex se sola communitas non potest concedere ministrum ordinatum».[108] Urget necessitas voluntatis communis, ut omnis ambiguitas hac in re vitetur et difficultatibus recentiorum annorum remedium afferatur. Nonnisi igitur caute adhibeantur locutiones, uti sunt «communitas celebrans» vel «coetus celebrans», vulgo «celebrating assembly», «asamblea celebrante», «assemblée célébrante», «assemblea celebrante», aliaeque eiusmodi.

2. De officiis christifidelium laicorum in sanctae Missae celebratione

43. In bonum communitatis totiusque Ecclesiae Dei aliqui ex fidelibus laicis iuxta traditionem officia quaedam circa celebrationem sacrae Liturgiae recte et laudabiliter exercent.[109] Convenit ut plures diversa officia aut diversas partes eiusdem officii inter se distribuant et peragant.[110]

[104] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Rosarium Virginis Mariae*, diei 16 octobris 2002: AAS 95 (2003) pp. 5-36.

[105] Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) pp. 586-587.

[106] Cf. Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Instr., *Varietates legitimae*, n. 22: AAS 87 (1995) p. 297.

[107] Cf. Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) p. 553.

[108] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 29: AAS 95 (2003) p. 453; cf. Conc. Oecum. Lateran. IV., dierum 11-30 novembris 1215, cap. 1: DS 802; Conc. Oecum. Trid., Sessio XXIII, diei 15 iulii 1563, Doctrina et canones de sacr. ordin., cap. 4: DS 1767-1770; Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) p. 553.

[109] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 230 § 2; cf. etiam Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 97.

[110] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 109.

44. Praeter ministeria acolythi et lectoris rite institutorum,[111] inter supradicta officia praecipua sunt illa acolythi [112] et lectoris [113] ex temporaria deputatione, quibus iunguntur alia munera in Missali Romano descripta,[114] necnon officia hostias praeparandi, linteamina liturgica lavandi et similia. Omnes « sive ministri ordinati sive christifideles laici, munere vel officio suo fungentes, solum et totum id agant, quod ad ipsos pertinet » [115] atque sive in ipsa celebratione liturgica sive in eius praeparatione faciant, ut liturgia Ecclesiae digne et decore peragatur.

45. Vitandum est periculum rationem complementariam inter actionem clericorum et laicorum obscurandi, ita ut officium laicorum cuidam « clericalizationi », ut dicitur, subiciatur, dum ministri sacri indebite ea assumunt, quae vitae et actioni christifidelium laicorum propria sunt.[116]

46. Christifidelis laicus qui ad id vocatur, ut in celebrationibus liturgicis auxilium praestet, rite sit instructus et vita christiana, fide, moribus fidelitateque erga Ecclesiae Magisterium commendetur oportet. Decet eum iuxta eius aetatem, condicionem, vitae genus et religiosam culturam, congruam institutionem liturgicam accepisse.[117] Nemo seligatur cuius designatio fidelium admirationem excitare possit.[118]

47. Consuetudo insignis omnino laudabiliter retinetur, qua adsint pueri vel iuvenes, ministrantes de more nuncupati, qui ad instar acolythi ad altare

[111] Cf. Paulus PP. VI, Litt. Ap. motu proprio datae, *Ministeria quaedam*, diei 15 augusti 1972, nn. VI-XII; Pontificale Romanum *ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum*, De institutione lectorum et acolythorum, de admissione inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum, de sacro caelibatu amplectendo, editio typica, diei 3 decembris 1972, Typis Polyglottis Vaticanis, 1973, p. 10: AAS 64 (1972) pp. 529-534, hic pp. 532-533; *Codex Iuris Canonici*, can. 230 § 1; Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 98-99, 187-193.

[112] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 187-190, 193; *Codex Iuris Canonici*, can. 230 §§ 2-3.

[113] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 24; S. Congr. pro Sacr. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, nn. 2 et 18: AAS 72 (1980) pp. 334, 338; Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 101, 194-198; *Codex Iuris Canonici*, can. 230 §§ 2-3.

[114] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 100-107.

[115] *Ibidem*, n. 91; cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 28.

[116] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Allocutio ad Conferentiam Episcoporum Antillarum, diei 7 maii 2002, n. 2: AAS 94 (2002) pp. 575-577; Adh. Ap. post-synodalis, *Christifideles laici*, diei 30 decembris 1988, n. 23: AAS 81 (1989) pp. 393-521, hic pp. 429-431; Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, diei 15 augusti 1997, Theologica principia, n. 4: AAS 89 (1997) pp. 860-861.

[117] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 19.

[118] Cf. S. Congr. de Disc. Sacram., Instr., *Immensae caritatis*, diei 29 ianuarii 1973: AAS 65 (1973) p. 266.

servitium praestent et pro captu suo opportunam catechesim de officio accipiant.[119] Nec obliviscendum est ex huiusmodi puerorum numero decursu saeculorum ingentem compaginem ministrorum sacrorum provenisse.[120] Consociationes pro eis, etiam parentibus participantibus et coadiuvantibus, instituantur vel promoveantur, quibus ministrantium cura pastoralis efficacius adhibeatur. Quoties huiusmodi consociationes indolem internationalem praeseferunt, pertinet ad Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum eas erigere vel eorum statuta approbare ac recognoscere.[121] Ad huiusmodi altaris servitium puellae vel mulieres admitti possunt, de iudicio Episcopi dioecesani et attentis normis statutis.[122]

Caput III

DE SANCTAE MISSAE RECTA CELEBRATIONE

1. De materia Sanctissimae Eucharistiae

48. Panis, qui in sacrosancti eucharistici Sacrificii celebratione adhibetur, debet esse azymus, mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis.[123] Ideo consequitur panem ex alia substantia etiam cereali conflatum, vel illum cui tanta sit admixta quantitas materiae a tritico diversae, ut, iuxta communem aestimationem, tritici panem esse dici nequeat, materiam validam pro conficiendo Sacrificio et Sacramento eucharistico haud constituere.[124] Gravis est abusus alias substantias, ut sunt fructus vel saccharum vel mel, in panem ad Eucharistiam conficiendum

[119] Cf. S. Congr. Rituum, Instr., *De Musica sacra*, diei 3 septembris 1958, n. 93c: AAS 50 (1958) p. 656.

[120] Cf. Pont. Cons. de Legum Textibus Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 11 iulii 1992: AAS 86 (1994) pp. 541-542; Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Litt. ad Praesides Conf. Episcoporum de servitio liturgico laicorum, diei 15 martii 1994: *Notitiae* 30 (1994) pp. 333-335, 347-348.

[121] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Const. Ap., *Pastor bonus*, art. 65: AAS 80 (1988) p. 877.

[122] Cf. Pont. Cons. de Legum Textibus Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 11 iulii 1992: AAS 86 (1994) pp. 541-542; Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Litt. ad Praesides Conf. Episcoporum de servitio liturgico laicorum, diei 15 martii 1994: *Notitiae* 30 (1994) pp. 333-335, 347-348; Litt. ad quemdam Episcopum, diei 27 iulii 2001: *Notitiae* 38 (2002) pp. 46-54.

[123] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 924 § 2: Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 320.

[124] Cf. S. Congr. de Disc. Sacram., Instr., *Dominus Salvator noster*, diei 26 martii 1929, n. 1: AAS 21 (1929) pp. 631-642, hic p. 632.

introducere. Patet hostias conficiendas esse ab iis, qui non solum honestate praestent, sed etiam ipsis conficiendis sint experti, idoneisque instrumentis instructi.[125]

49. Ratione signi convenit, ut aliquae partes panis eucharistici ex fractione provenientes aliquibus saltem fidelibus in Communionem distribuantur. « Parvae tamen hostiae minime excluduntur, quando numerus sacram Communionem sumentium aliaeque rationes pastorales id exigunt »,[126] immo adhibeantur ex more pro magna parte particulae parvae, quae ulteriore fractione non egent.

50. Vinum, quod in sacrosancti eucharistici Sacrificii celebratione adhibetur, debet esse naturale, de genimine vitis, merum et non corruptum, extraneis substantiis non admixtum.[127] In ipsa Missae celebratione ei modica aqua miscenda est. Sedula cura caveatur ut vinum ad Eucharistiam destinatum perfecto statu conservetur nec acescat.[128] Omnino vetitum est vinum adhiberi, de cuius genuinitate et provenientia dubium occurrat: nam Ecclesia circa condiciones necessarias pro sacramentorum validitate certitudinem exigit. Nec admittatur ullum praetextum in favorem aliorum potuum cuiusvis generis, qui materiam validam non constituunt.

2. De Prece eucharistica

51. Illae tantum Preces eucharisticae adhibeantur, quae in Missali Romano inveniuntur vel ab Apostolica Sede legitime probatae sunt iuxta modos terminosque ab ea definitos. « Patiendum non est nonnullos Sacerdotes sibi ius arrogare Preces eucharisticas componendi »[129] vel textus earundem ab Ecclesia probatos mutare vel alios a privatis compositos inducere.[130]

52. Eucharisticae Precis pronuntiatio, ipsa sua natura quasi culmen totius celebrationis, Sacerdotis est propria vi eius ordinationis. Itaque abusus est id agere, ut quaedam partes Precis eucharisticae a Diacono, a ministro

[125] Cf. *ibidem*, n. II: AAS 21 (1929) p. 635.

[126] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 321.

[127] Cf. *Lc* 22, 18; *Codex Iuris Canonici*, can. 924 §§ 1, 3; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 322.

[128] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 323.

[129] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Ap., *Vicesimus quintus annus*, n. 13: AAS 81 (1989) p. 910.

[130] S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, n. 5: AAS 72 (1980) p. 335.

laico vel a singulo omnibusve simul fidelibus recitentur. Prex igitur eucharistica a solo Sacerdote est ex toto recitanda.[131]

53. Dum Sacerdos celebrans Precem eucharisticam «profert aliae orationes vel cantus non habeantur, atque organum vel alia instrumenta musica sileant»,[132] nisi pro acclamationibus populi rite approbatis de quibus infra.

54. Populus tamen semper actuose et numquam mere passive interest: Sacerdoti enim «in fide et cum silentio se societ, necnon interventibus in eucharisticae Precis cursu statutis, qui sunt responsiones in dialogo Praefationis, Sanctus, acclamatio post consecrationem et acclamatio Amen post doxologiam finalem, necnon aliae acclamationes a Conferentia Episcoporum probatae et a Sancta Sede recognitae».[133]

55. Alicubi invaluit abusus, quo tempore consecrationis in sanctae Missae celebratione Sacerdos hostiam frangit. Qui abusus contra Ecclesiae traditionem fit. Reprobandus est urgentiusque corrigendus.

56. Mentio nominis Summi Pontificis et Episcopi dioecesani in Prece eucharistica ne omittatur, ob traditionem antiquissimam servandam et communionem ecclesialem manifestandam. «Eucharisticae» enim «communitatis ipse congressus communis est etiam coniunctio cum proprio Episcopo et cum Pontifice Romano».[134]

3. De ceteris Missae partibus

57. Communitatis christifidelium ius est, ut praesertim in celebratione dominicali adsint de more musica sacra idonea et vera ac semper altare, paramenta ac sacra linteamina, quae dignitate, decore et munditie iuxta normas resplendeant.

[131] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 28: AAS 95 (2003) p. 452; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 147; S. Congr. pro Cultu Div., Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 4: AAS 62 (1970) p. 698; S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, n. 4: AAS 72 (1980) p. 334.

[132] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 32.

[133] *Ibidem*, n. 147; cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 28: AAS 95 (2003) p. 452; cf. etiam Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, n. 4: AAS 72 (1980) pp. 334-335.

[134] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 39: AAS 95 (2003) p. 459.

58. Pariter omnes christifideles ius habent celebrationem Eucharistiae sedulo in omnibus eius partibus ita praeparari, ut digne et efficaciter in ea verbum Dei proclametur et explanetur, facultas textus liturgicos et ritus seligendi cum cura iuxta normas exerceatur et verbis cantuum in celebratione Liturgiae fides eorum debite custodiatur et alatur.

59. Cesset reprobandus usus, quo Sacerdotes vel Diaconi aut christifideles hic et illic textus sacrae Liturgiae ipsis pronuntiandos commissos proprio arbitrio mutant seu variant. Cum ita enim faciant, sacrae Liturgiae celebrationem instabilem reddunt et haud raro authenticum sensum Liturgiae adulterant.

60. In Missae celebratione liturgia verbi et liturgia eucharistica inter se stricte conectuntur et unum eundem actum cultus efficiunt. Quapropter alteram ab altera separare non licet, easve diverso tempore et loco celebrare.[135] Neque licet variis momentis etiam unius eiusdem diei singulas partes sacrae Missae peragi.

61. In seligendis lectionibus biblicis in celebratione Missae proferendis, sequendae sunt normae, quae in libris liturgicis inveniuntur,[136] ut revera « ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus et thesauri biblici eis aperiantur ».[137]

62. Nec licet lectiones biblicas praescriptas proprio arbitrio omittere vel substituere nec praesertim « lectiones et psalmum responsorium, quae verbum Dei continent, cum aliis textibus non biblicis »[138] commutare.

63. Lectio evangelica, quae « culmen constituit liturgiae verbi »,[139] ex traditione Ecclesiae in celebratione sacrae Liturgiae ministro ordinato reservatur.[140] Unde non licet laico etiam religioso lectionem evangelicam in sanctae Missae celebratione proclamare, nec aliis in casibus, in quibus normae hoc non explicite permittunt.[141]

[135] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 2b: AAS 62 (1970) p. 696.

[136] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 356-362.

[137] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 51.

[138] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 57; cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Ap., *Vicesimus quintus annus*, n. 13: AAS 81 (1989) p. 910; Congr. pro Doctrina Fidei, Declaratio de Iesu Christi atque Ecclesiae unicitate et universalitate salvifica, *Dominus Iesus*, diei 6 augusti 2000: AAS 92 (2000) pp. 742-765.

[139] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 60.

[140] Cf. *ibidem*, nn. 59-60.

[141] Cf. v.gr. Rituale Romanum, *ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II renovatum, auctoritate Pauli PP. VI editum Ioannis Pauli PP. II cura recognitum:* Ordo celebrandi Matrimonium, editio typica altera, diei 19 martii 1990, Typis Polyglottis Vaticanis, 1991, n. 125; Rituale Romanum, *ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum:* Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae, editio typica, diei 7 decembris 1972, Typis Polyglottis Vaticanis, 1972, n. 72.

64. Homilia, quae decursu celebrationis sanctae Missae tenetur et pars est ipsius liturgiae,[142] « de more ab ipso Sacerdote celebrante habeatur vel ab eo committatur Sacerdoti concelebranti, vel quandoque, pro opportunitate, etiam Diacono, numquam vero laico.[143] In casibus peculiaribus iustaque de causa homilia haberi potest etiam ab Episcopo vel Presbytero qui celebrationi interest quin concelebrare possit ».[144]

65. Memorandum est quod abrogata censetur ad praescriptum canonis 767, § 1, quaelibet praecedens norma quae fideles non ordinatos admiserit ad homiliam habendam in eucharistica celebratione.[145] Quae admissio reprobatur, ita ut vi nullius consuetudinis permitti possit.

66. Prohibitio admissionis laicorum ad praedicationem intra Missae celebrationem valet etiam de seminariorum alumnis, de disciplinae theologicae auditoribus et de illis, qui officium « assistentium pastoralium », ut aiunt, acceperint, neque ullum aliud laicorum genus vel coetus vel communitas vel associatio excipiatur.[146]

67. Omnino praesertim curandum est, ut homilia mysteriis salutis stricte innitatur, per anni liturgici cursum ex lectionibus biblicis textibusque liturgicis fidei mysteria et normas vitae christianae exponens atque commentarium praebens textuum ex Ordinario vel Proprio Missae aut alius ritus Ecclesiae.[147] Patet omnes sacrae Scripturae interpretationes ad Christum reducendas esse, utpote ad cardinem supremum oeconomiae salutis, sed hoc fiat perspecto contextu specifico liturgicae celebrationis. In homilia habenda lucem Christi super eventus vitae pandere curetur. Quod autem ita fiat, ne sensus verus ac sincerus verbi Dei vanus evadat, v. gr. tantum de re politica vel profana agendo aut e notionibus a

[142] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 767 § 1.

[143] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 66; cf. etiam *Codex Iuris Canonici*, can. 6, §§ 1, 2; et can. 767 § 1, de quo notanda sunt etiam praescripta Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 3 § 1: AAS 89 (1997) p. 865.

[144] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 66; cf. etiam *Codex Iuris Canonici*, can. 767 § 1.

[145] Cf. Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 3 § 1: AAS 89 (1997) p. 865; cf. etiam *Codex Iuris Canonici*, can. 6, §§ 1, 2; Pont. Comm. Codici Iuris Canonici Auth. Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 20 iunii 1987: AAS 79 (1987) p. 1249.

[146] Cf. Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 3 § 1: AAS 89 (1997) pp. 864-865.

[147] Cf. Conc. Oecum. Trid., Sessio XXII, diei 17 septembris 1562, De Ss. Missae Sacrificio, cap. 8: DS 1749; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 65.

nostrae aetatis motibus pseudo-religiosis derivantibus uti e fonte attingendo.[148]

68. Episcopus dioecesanus sedulo de homilia vigilet,[149] etiam normas, lineamenta et subsidia inter ministros sacros diffundens atque conventus aliaque incepta ad hoc promovens, ut saepe occasionem habeant ipsi de natura homiliae pressius considerandi necnon auxilium quoad eius praeparationem inveniant.

69. In sancta Missa necnon in aliis sacrae Liturgiae celebrationibus ne admittatur symbolum seu professio fidei, quae locum non habet in libris liturgicis rite approbatis.

70. Oblata, quae pro Liturgia eucharistica christifideles in sancta Missa praesentare solent, in panem et vinum ad Eucharistiam celebrandam non necessarie rediguntur, sed etiam alia complecti possunt dona, quae a fidelibus sub specie pecuniae aliorumve utilium pro caritate erga pauperes porrecti sunt. Dona externa autem expressio visibilis illius veri doni semper esse debent, quod Dominus a nobis exspectat: cor contritum, amor Dei et proximi, quo conformamur sacrificio Christi, qui seipsum pro nobis tradidit. Nam in Eucharistia maxime fulget mysterium illud caritatis, quod Iesus Christus in Cena dominica abluens pedes discipulorum exprompsit. Ad tuendam tamen sacrae Liturgiae dignitatem exteriora oblata apte oportet porrigantur. Pecunia ergo, sicut et aliae pro pauperibus stipes, in opportuno loco disponantur, autem extra mensam eucharisticam.[150] Praeter pecuniam et, in casu, minimam aliorum donorum ratione signi partem, haec oblata extra Missae celebrationem potius praebeantur.

71. Servetur usus Ritus Romani pacem paulo ante sanctam Communionem tradendi, ut in Ordine Missae statutum est. Iuxta enim traditionem Ritus Romani hic usus notam habet nec reconciliationis nec peccatorum remissionis, sed potius pacis, communionis et caritatis ante sanctissimae Eucharistiae receptionem significandae.[151] Indolem e contra reconciliationis inter fratres praesefert actus paenitentiae initio Missae, praesertim iuxta primam eiusdem formam, peragendus.

[148] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Allocutio ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, qui, visitationis causa « ad limina Apostolorum », Romam venerant, diei 28 maii 1993, n. 2: AAS 86 (1994) p. 330.

[149] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 386 § 1.

[150] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 73.

[151] Cf. *ibidem*, n. 154.

72. Convenit «ut unusquisque solummodo sibi propinquioribus sobrie pacem significet». «Sacerdos pacem potest dare ministris, semper tamen intra presbyterium remanens, ne celebratio turbetur. Item faciat si e rationabili causa aliquibus paucis fidelibus pacem dare velit». «Ad ipsum signum pacis tradendae quod attinet, modus a Conferentiis Episcoporum», actis a Sede Apostolica recognitis, «secundum ingenium et mores populorum, statuatur».[152]

73. In sacra Missae celebratione fractio panis eucharistici, solummodo a Sacerdote celebrante, adiuvante, si casus fert, Diacono vel concelebrante, non autem laico, peragenda, inchoatur post pacem traditam, dum Agnus Dei profertur. Gestus enim fractionis panis «a Christo in ultima cena peractus, qui tempore apostolico toti actioni eucharisticae nomen dedit, significat fideles multos in Communione ex uno pane vitae, qui est Christus pro mundi salute mortuus et resurgens, unum corpus effici (*1 Cor* 10, 17)».[153] Unde ritus magna cum reverentia oportet peragatur.[154] Sit tamen brevis. Urgentius corrigatur abusus, qui alicubi invaluit, eundem ritum innecessarie producendi, etiam laicis contra normas adiuvantibus, atque immoderati momenti aestimandi.[155]

74. Si necessitas oriatur, qua instructiones vel testimonium quoddam circa vitam christianam in ecclesia apud christifideles congregatos a laico praebeantur, omnino praeferendum est hoc extra Missae celebrationem fieri. Ob graves tamen causas licet huiusmodi instructiones vel testimonia praeberi postquam Sacerdos orationem post Communionem protulerit. Ne tamen hic usus consuetus fiat. Quae insuper instructiones et testimonia minime talem habeant sensum, ut cum homilia confundi possint,[156] nec licet earum causa homiliam omnino supprimere.

4. De coniunctione variorum rituum cum Missae celebratione

75. Ob rationem theologicam celebrationi eucharisticae vel ritui particulari inhaerentem, libri liturgici quandoque praescribunt vel permittunt

[152] Cf. *ibidem*, nn. 82, 154.
[153] Cf. *ibidem*, n. 83.
[154] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 5: AAS 62 (1970) p. 699.
[155] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 83, 240, 321.
[156] Cf. Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 3 § 2: AAS 89 (1997) p. 865.

celebrationem sanctae Missae alio cum ritu, praesertim Sacramentorum, coniungi.[157] Aliis tamen in casibus Ecclesia hanc coniunctionem non admittit, praesertim ubi de adiunctis levem vanamque quamdam indolem habentibus agatur.

76. Prae ceteris, iuxta antiquissimam Ecclesiae Romanae traditionem, non licet Sacramentum Paenitentiae cum sancta Missa unire ita ut fiat unica actio liturgica. Hoc tamen non impedit quominus Sacerdotes, praeter illos sanctam Missam celebrantes vel concelebrantes, confessiones fidelium audiant, qui id desiderent, etiam dum in eodem loco Missa celebratur, ut occurratur eorundem fidelium necessitatibus.[158] Quod tamen opportuno modo peragatur.

77. Celebratio sanctae Missae nullo modo in adiunctis communis cenae inseratur, nec cum huiusmodi convivio conectatur. Non celebretur Missa, nisi ex gravi necessitate, supra mensam cibariam[159] aut in refectorio vel in loco qui ad hunc usum convivialem adhibeatur, nec in quavis aula ubi cibus adsit, nec Missae participantes ipsa durante celebratione ad mensas sedeant. Si, ex gravi necessitate, Missa celebrari debeat in eodem loco ubi postea cenandum erit, interponatur clarum temporis spatium inter Missae conclusionem et initium cenae neque cibus ordinarius fidelibus durante Missae celebratione exhibeatur.

78. Non licet celebrationem Missae colligari cum rebus politicis vel mundanis vel cum adiunctis quae plene Magisterio Ecclesiae catholicae non respondeant. Omnino insuper vitandum est Missae celebrationem ex mero pomparum desiderio peragere aut iuxta decora aliarum caeremoniarum etiam profanarum fieri, ne authentica significatio Eucharistiae evacuetur.

79. Abusus demum severissime iudicandus est in celebrationem sanctae Missae elementa contra librorum liturgicorum praescripta ex ritibus aliarum religionum desumptis introducere.

[157] Cf. praesertim *Institutio generalis de Liturgia Horarum*, nn. 93-98; Rituale Romanum, *ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Ioannis Pauli PP. II promulgatum:* De Benedictionibus, editio typica, diei 31 maii 1984, Typis Polyglottis Vaticanis, 1984, Praenotanda, n. 28; Ordo coronandi imaginem beatae Mariae Virginis, editio typica, diei 25 martii 1981, Typis Polyglottis Vaticanis, 1981, nn. 10 et 14, pp. 10-11; S. Congr. pro Cultu Divino, Instr., de Missis in coetibus particularibus, *Actio pastoralis*, diei 15 maii 1969: AAS 61 (1969) pp. 806-811; Directorium de Missis cum pueris, *Pueros baptizatos*, diei 1 novembris 1973: AAS 66 (1974) pp. 30-46; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 21.

[158] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Ap. motu proprio datae, *Misericordia Dei*, diei 7 aprilis 2002, n. 2: AAS 94 (2002) p. 455; Cf. Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Responsa ad dubia proposita: *Notitiae* 37 (2001) pp. 259-260.

[159] Cf. S. Congr. pro Cultu Div., Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 9: AAS 62 (1970) p. 702.

Caput IV

DE SACRA COMMUNIONE

1. De dispositionibus in sacra Communione accipienda

80. Eucharistia fidelibus proponatur etiam «tamquam antidotum, quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur»,[160] quod diversis in Missae partibus in lucem ponitur. Quoad actum paenitentialem initio Missae positum, is finem habet omnes disponendi, ut apti sint ad sacra mysteria celebranda;[161] tamen, «efficacia sacramenti Paenitentiae caret»,[162] nec, ad gravium remissionem peccatorum quod attinet, pro sacramento Paenitentiae substitutus putari potest. Animarum pastores diligenter curent catecheticam institutionem, ut doctrina christiana hac in re christifidelibus tradatur.

81. Ecclesiastica autem consuetudo declarat necesse esse quemque profundius seipsum probare,[163] ne quisquis sibi conscius peccati gravis sine praemissa sacramentali confessione Missam celebret neve Corpori Domini communicet, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se obligatione teneri ad eliciendum actum perfectae contritionis, qui includit propositum quam primum confitendi.[164]

82. Insuper «normas iam edidit Ecclesia eo spectantes ut frequens et fructuosus adiuvetur fidelium aditus ad Mensam eucharisticam et ut condiciones definiantur quibus a Communione subministranda omnino abstineatur».[165]

83. Optimum sane est ut omnes quamdam sanctae Missae celebrationem participantes debitisque condicionibus praediti sacram Communionem in ea

[160] Conc. Oecum. Trid., Sessio XIII, diei 11 octobris 1551, Decr. de Ss. Eucharistia, cap. 2: DS 1638; cf. Sessio XXII, diei 17 septembris 1562, De Ss. Missae Sacrificio, capp. 1-2: DS 1740, 1743; S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 35: AAS 59 (1967) p. 560.

[161] Cf. Missale Romanum, Ordo Missae, n. 4, p. 505.

[162] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 51.

[163] Cf. *1 Cor* 11, 28.

[164] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 916; Conc. Oecum. Trid., Sessio XIII, diei 11 octobris 1551, Decr. de Ss. Eucharistia, cap. 7: DS 1646-1647; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 36: AAS 95 (2003) pp. 457-458; S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 35: AAS 59 (1967) p. 561.

[165] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 42: AAS 95 (2003) p. 461.

percipiant. Evenit tamen quandoque ut sacram ad mensam christifideles gregatim et indiscriminatim accedant. Pastorum est prudenter ac firmiter emendare talem abusum.

84. Praeterea ubi sancta Missa pro magna multitudine celebratur vel, exempli gratia, in magnis urbibus, oportet caveatur, ne ex ignorantia ad sacram Communionem accedant etiam non catholici vel etiam non christiani, neglecto Magisterio Ecclesiae quoad doctrinam et disciplinam. Pastorum est adstantes tempore opportuno monere de veritate et disciplina stricte observandis.

85. Ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, qui pariter eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt, salvis iis can. 844 §§ 2, 3 et 4, atque can. 861 § 2 praescriptis.[166] Condiciones insuper can. 844 § 4, constitutae, quibus nihil derogari potest,[167] inter se separari non possunt; quapropter oportet semper omnes simul requirantur.

86. Fideles instanter ad eum usum adducantur ut extra Missae celebrationem, praesertim horis statutis, ad sacramentum paenitentiae accedant, ita ut eius administratio cum tranquillitate et ipsorum vera utilitate fiat, neve ipsi ab actuosa Missae participatione impediantur. Qui cotidie aut saepius communicare solent, instruantur ut aequis temporibus, pro singulorum condicione, ad sacramentum paenitentiae accedant.[168]

87. Primae Communioni puerorum semper praemittatur sacramentalis confessio et absolutio.[169] Semper insuper a Sacerdote prima Communio administretur et quidem numquam extra Missae celebrationem. Salvis casibus exceptionis, parum apte administratur feria V in Cena Domini. Seligatur potius alius dies, prouti dominicae II-VI Paschae vel sollemnitas Corporis et Sanguinis Christi vel dominicae «per annum», cum dies dominica dies

[166] Cf. Codex Iuris Canonici, can. 844 § 1; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, nn. 45-46: AAS 95 (2003) pp. 463-464; cf. etiam Pont. Cons. ad christianorum unitatem fov., Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'oecuménisme, *La recherche de l'unité*, diei 25 martii 1993, nn. 130-131: AAS 85 (1993) pp. 1039-1119, hic p. 1089.

[167] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 46: AAS 95 (2003) pp. 463-464.

[168] Cf. S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 35: AAS 59 (1967) p. 561.

[169] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 914; S. Congr. de Disc. Sacram., Declar., *Sanctus Pontifex*, diei 24 maii 1973: AAS 65 (1973) p. 410; S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div. et S. Congr. pro Clericis, Litt. ad Praesides Conf. Episcoporum, *In quibusdam*, diei 31 martii 1977: *Enchiridion Documentorum Instaurationis Liturgicae*, II, Roma 1988, pp. 142-144; S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div. et S. Congr. pro Clericis, Responsum ad propositum dubium, diei 20 maii 1977: AAS 69 (1977) p. 427.

Eucharistiae recte aestimetur.[170] Ne ad sacram Eucharistiam accipiendam «accedant pueri, qui rationis usum non sint adepti aut quos» parochus «non sufficienter dispositos iudicaverit».[171] Ubi tamen eveniat, ut puer quidam modo exceptionali sub respectu aetatis maturus iudicetur ad sacramentum suscipiendum, eidem prima Communio ne recusetur, dummodo sufficienter instructus sit.

2. De distributione sacrae Communionis

88. Fideles sacramentalem Communionem Eucharistiae de more sumant in ipsa Missa et eo puncto temporis ab ipso ritu celebrationis praescripto, id est proxime post Communionem Sacerdotis celebrantis.[172] Est Sacerdotis celebrantis, forte ab aliis Sacerdotibus vel Diaconis coadiuvati, communionem ministrare; neque ipse debet Missam prosequi, nisi fidelium Communione expleta. Tantum ubi urgeat necessitas, ministri extraordinarii Sacerdotem celebrantem ad normam iuris adiuvare possunt.[173]

89. Ut, etiam «per signa, Communio melius appareat participatio Sacrificii quod actu celebratur»,[174] optandum est ut fideles possint eam recipere hostiis in ipsa Missa consecratis.[175]

90. «Fideles communicant genuflexi vel stantes, prout Conferentia Episcoporum statuerit», actis a Sede Apostolica recognitis. «Cum autem stantes communicant, commendatur ut debitam reverentiam, ab iisdem normis statuendam, ante susceptionem Sacramenti faciant».[176]

91. In sacra Communione distribuenda memorandum est quod «ministri sacri denegare non possunt sacramenta iis qui opportune eadem petant, rite sint dispositi, nec iure ab iis recipiendis prohibeantur».[177] Quilibet exinde catholicus baptizatus, qui iure non prohibeatur, admitti debet ad sacram

[170] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Dies Domini*, diei 31 maii 1998, nn. 31-34: AAS 90 (1998) pp. 713-766, hic pp. 731-734.

[171] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 914.

[172] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 55.

[173] Cf. S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 31: AAS 59 (1967) p. 558; Pont. Comm. Codicis Iuris Canonici Authen. Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 1 iunii 1988: AAS 80 (1988) p. 1373.

[174] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 85.

[175] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 55; S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 31: AAS 59 (1967) p. 558; Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 85, 157, 243.

[176] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 160.

[177] *Codex Iuris Canonici*, can. 843 § 1; cf. can. 915.

Communionem. Proinde licitum non est ulli ex christifidelibus sacram Communionem negare, ex eo v. gr. tantummodo quod is Eucharistiam genibus flexis vel stans accipere vult.

92. Quamvis omnis fidelis ius semper habeat pro libitu suo sacram Communionem ore accipiendi,[178] si quis communicandus velit Sacramentum manu recipere, in regionibus ubi Conferentia Episcoporum, actis a Sede Apostolica recognitis, id permiserit, ei sacra hostia administretur. Attamen peculiari modo curetur statim coram ministro hostiam a communicante sumi, ne ullus species eucharisticas in manu ferens discedat. Si adsit profanationis periculum, sacra Communio in manu fidelibus non tradatur.[179]

93. Patina pro Communione fidelium oportet retineatur, ad vitandum periculum ut hostia sacra vel quoddam eius fragmentum cadat.[180]

94. Non licet ipsis fidelibus sacram hostiam neque calicem sacrum « per semetipsos accipere eo minus de manu in manum inter se transmittere ».[181] Hac in re auferendus insuper est abusus, quo sponsi in Missa nuptiali modo reciproco sibi sacram Communionem ministrant.

95. Christifidelis laicus « qui sanctissimam Eucharistiam iam recepit, potest eam iterum eadem die suscipere sollummodo intra eucharisticam celebrationem cui participat, salvo praescripto can. 921 § 2 ».[182]

96. Reprobandus est usus, quo contra librorum liturgicorum praescripta, sanctae Missae celebratione durante vel ante eam, ad instar Communionis sive hostiae non consecratae sive alia edibilia vel inedibilia distribuantur. Qui usus enim cum traditione Ritus Romani minime concordat et periculum secum fert confusionem inducendi in christifideles quoad doctrinam eucharisticam Ecclesiae. Ubi aliquibus in locis exstet, ex concessione, particularis consuetudo panis benedicendi ac distribuendi post Missam, magna cum cura de hoc actu recta catechesis detur. Ne vero alia similia introducantur nec ad hunc usum hostiae non consecratae umquam adhibeantur.

[178] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 161.
[179] Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Dubium: *Notitiae* 35 (1999) pp. 160-161.
[180] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 118.
[181] *Ibidem*, n. 160.
[182] *Codex Iuris Canonici*, can. 917; cf. Pont. Comm. Codicis Iuris Canonici Authen. Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 11 iulii 1984: AAS 76 (1984) p. 746.

3. De Sacerdotum Communione

97. Sacerdos, quoties sanctam Missam celebrat, toties ad altare tempore a Missali statuto se communicare debet, concelebrantes vero antequam ipsi ad distributionem Communionis procedant. Numquam attendat Sacerdos celebrans vel concelebrans usque ad Communionem populi expletam, ut se communicet.[183]

98. Communio Sacerdotum concelebrantium iuxta normas in libris liturgicis praescriptas procedat, hostiis semper adhibitis, quae in eadem Missa consecratae sunt,[184] atque Communione semper sub utraque specie ab omnibus concelebrantibus recepta. Notandum est quod, si Sacerdos vel Diaconus concelebrantibus hostiam sacram vel calicem tradit, nihil dicit, nempe verba «Corpus Christi» vel «Sanguis Christi» minime profert.

99. Communio sub utraque specie semper permittitur «Sacerdotibus, qui sacrum celebrare vel concelebrare non possunt».[185]

4. De Communione sub utraque specie

100. Quo clarius plenitudo signi in convivio eucharistico fidelibus pateat, ad Communionem sub utraque specie admittuntur quoque christifideles laici in casibus in libris liturgicis expositis, praemissa et iugiter comitante debita catechesi circa principia dogmatica hac in re a Concilio Oecumenico Tridentino statuta.[186]

101. Ut christifidelibus laicis sacra Communio sub utraque specie ministretur, congruenter aestimanda erunt adiuncta, de quibus iudicent praeprimis Episcopi dioecesani. Omnino excludatur ubi periculum etiam parvum exstet profanationis sacrarum specierum.[187] Ob ampliorem coordinationem, Conferentiae Episcoporum normas, actis a Sede Apostolica per Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum recognitis, oportet edant,

[183] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 55; Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 158-160, 243-244, 246.

[184] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 237-249; cf. etiam nn. 85, 157.

[185] Cf. *ibidem*, n. 283a.

[186] Cf. Conc. Oecum. Trid., Sessio XXI, diei 16 iulii 1562, Decr. de communione eucharistica, capp. 1-3: DS 1725-1729; Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 55; Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 282-283.

[187] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 283.

praesertim quod «ad modum distribuendi fidelibus sacram Communionem sub utraque specie et ad facultatis extensionem»[188] attinet.

102. Ne ministretur calix christifidelibus laicis ubi tantus adsit communicandorum numerus,[189] ut difficile evadat quantitatem vini ad Eucharistiam aestimare, et periculum exstet, ut «copia Sanguinis Christi plus aequo remaneat in fine celebrationis sumenda»;[190] nec item ubi accessus ad calicem ardue ordinari possit vel ubi requiratur copia sufficiens vini, cuius tantum difficulter cognosci possunt secura provenientia et qualitas, vel ubi praesto non sit congruus numerus ministrorum sacrorum neque ministrorum extraordinariorum sacrae Communionis, qui formationem idoneam habeant, vel ubi pars notabilis populi ad calicem variis ex causis perseveranter nolit accedere, ablato igitur quodammodo signo unitatis.

103. Normae Missalis Romani admittunt principium quo, in casibus ubi Communio sub utraque specie ministretur, «sanguis Domini sumi potest vel ex ipso calice directe bibendo, vel per intinctionem, vel cum calamo, vel cum cochleari».[191] Quoad Communionis christifidelibus laicis ministrationem, Episcopi Communionem cum calamo vel cum cochleari excludere possunt, ubi usus loci non sit, manente tamen semper optione Communionis per intinctionem ministrandae. Si autem hic modus usurpetur, adhibeantur hostiae, quae ne nimis tenues neque nimis parvae sint, et communicandus a Sacerdote Sacramentum tantummodo ore recipiat.[192]

104. Ne permittatur communicando per seipsum hostiam in calicem intingere nec hostiam intinctam manu accipere. Quoad hostiam intingendam, sit haec e materia valida confecta necnon consecrata, omnino vetito usu panis non consecrati aliusve materiae.

105. Si ad Communionem sub utraque specie Sacerdotibus concelebrantibus aut christifidelibus distribuendam unus calix non sufficit, nihil obstat quominus Sacerdos celebrans pluribus calicibus utatur.[193] Memorandum enim est omnes Sacerdotes sanctam Missam celebrantes ad Communionem sub

[188] Cf. *ibidem*.
[189] Cf. S. Congr. pro Cultu Div., Instr., *Sacramentali Communione*, diei 29 iunii 1970: AAS 62 (1970) p. 665; Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 6a: AAS 62 (1970) p. 699.
[190] Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 285a.
[191] *Ibidem*, n. 245.
[192] Cf. *ibidem*, nn. 285b et 287.
[193] Cf. *ibidem*, nn. 207 et 285a.

utraque specie teneri. Laudabiliter adhibetur, ratione signi, calix principalis grandior, una cum calicibus minoribus.

106. Attamen omnino vitandum est, ne post consecrationem Sanguis Christi ex uno in alterum vasum transfundatur, ne quid accidat quod vergat ad iniuriam tanti mysterii. Ad Sanguinem Domini recipiendum ne umquam adhibeantur lagonae, cratera vel alia vasa, quae integraliter normis statutis non respondeant.

107. Ad normam statutorum canonum, «qui species consecratas abicit aut in sacrilegum finem abducit vel retinet, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit; clericus praeterea alia poena, non exclusa dimissione e statu clericali, puniri potest».[194] Cui casui quaelibet actio sacras species voluntarie et graviter despiciens censenda est adnumerari. Unde si quis contra praedictas normas agat, ex. gr. sacras species in sacrarium vel in locum indignum vel in terram proiciens, in poenas statutas incurrit.[195] Meminerint insuper omnes quod, distributione sacrae Communionis intra Missae celebrationem expleta, observanda sunt praescripta Missalis Romani, et praesertim oportet quod de Sanguine Christi forte remanet a Sacerdote vel iuxta normas ab alio ministro statim ex integro consumetur, hostiae vero consecratae quae supersunt aut ad altare a Sacerdote sumantur aut deferantur ad locum Eucharistiae asservandae destinatum.[196]

Caput V

DE QUIBUSDAM ALIIS AD EUCHARISTIAM SPECTANTIBUS

1. De loco celebrationis sanctae Missae

108. «Celebratio eucharistica peragatur in loco sacro, nisi in casu particulari necessitas aliud postulet; quo in casu, in loco honesto celebratio fieri debet».[197] De qua necessitate pro casu diiudicabit de more Episcopus dioecesanus pro sua dioecesi.

[194] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 1367.

[195] Cf. Pont. Cons. de legum textibus Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 3 iulii 1999: AAS 91 (1999) p. 918.

[196] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 163, 284.

[197] *Codex Iuris Canonici*, can. 932 § 1; cf. S. Congr. pro Cultu Div., Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 9: AAS 62 (1970) p. 701.

109. Numquam licet Sacerdoti Eucharistiam celebrare in templo vel loco sacro cuiusvis religionis non christianae.

2. De variis sanctae Missae adiunctis

110. « Sacerdotes, memoria semper tenentes in mysterio Sacrificii eucharistici opus redemptionis continuo exerceri, frequenter celebrent; immo enixe commendatur celebratio cotidiana, quae quidem, etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae, in quo peragendo munus suum praecipuum Sacerdotes adimplent ».[198]

111. Sacerdos ad Eucharistiam celebrandam vel concelebrandam « admittatur etiamsi rectori ecclesiae sit ignotus, dummodo aut litteras commendatitias » Sedis Apostolicae vel sui Ordinarii vel sui Superioris saltem intra annum datas, exhibeat, « aut prudenter existimari possit eundem a celebratione non esse impeditum ».[199] Episcopi provideant, ut usus contrarii exstirpentur.

112. Missa celebratur aut lingua latina aut alia lingua, dummodo textus liturgici adhibeantur, qui ad normam iuris approbati fuerint. Exceptis celebrationibus Missae, quae iuxta horarium earundem temporibus ab auctoritate ecclesiastica statutis lingua populi peragendae sunt, semper et ubique licet Sacerdotibus sacrum latine litare.[200]

113. Quando Missa a pluribus Sacerdotibus concelebratur, in Prece eucharistica pronuntianda adhibeatur lingua, quae simul ab omnibus Sacerdotibus concelebrantibus atque a congregato populo cognoscatur. Ubi evenit, ut inter Sacerdotes adsint qui linguam celebrationis non cognoscunt, ita ut partes Precis eucharisticae illis proprias debite pronuntiare nequeant, ne concelebrent, sed potius habitu chorali induti celebrationi adstent iuxta normas.[201]

[198] *Codex Iuris Canonici*, can. 904; cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 3; Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 13; cf. etiam Conc. Oecum. Trid., Sessio XXII, diei 17 septembris 1562, De Ss. Missae Sacrificio, cap. 6: DS 1747; Paulus PP. VI, Litt. Enc., *Mysterium fidei*, diei 3 septembris 1965: AAS 57 (1965) pp. 753-774, hic pp. 761-762; cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 11: AAS 95 (2003) pp. 440-441; S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 44: AAS 59 (1967) p. 564; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 19.

[199] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 903; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 200.

[200] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 36 § 1; *Codex Iuris Canonici*, can. 928.

[201] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 114.

114. « In dominicali Missa paroeciae, qua "communitatis eucharisticae" ex consuetudine quidem evenit, ut coetus adsint, motus, consociationes, parvae ipsae communitates religiosae ».[202] Etiamsi liceat Missam pro coetibus particularibus ad normam iuris celebrari,[203] hi nihilominus coetus minime sunt de fideli observatione normarum liturgicarum exempti.

115. Reprobandus est abusus, quo celebratio sanctae Missae in favorem populi contra normas Missalis Romani sanamque traditionem Ritus Romani modo arbitrario, sub praetextu « ieiunii ab Eucharistia » promovendi, suspenditur.

116. Ne Missae contra normam iuris multiplicentur et de oblata stipe serventur omnia aliunde iure servanda.[204]

3. De sacris vasis

117. Vasa sacra, quae ad recipiendum Corpus et Sanguinem Domini destinata sunt, stricte ad normam traditionis et librorum liturgicorum conficiantur.[205] Conferentiis Episcoporum facultas datur decernendi an, actis ab Apostolica Sede recognitis, opportunum sit vasa sacra confici etiam aliis ex materiis solidis. Attamen stricte requiritur, ut huiusmodi materiae secundum communem aestimationem cuiusque regionis, revera nobiles sint,[206] ita ut eorum usu honor reddatur Domino et periculum omnino vitetur prae oculis fidelium doctrinam realis praesentiae Christi in speciebus eucharisticis minuendi. Reprobandus igitur est quivis usus, quo ad Missae celebrationem vasa communia vel viliora adhibentur ad qualitatem quod attinet, vel omni artificio carentia vel simplicia canistra vel alia vasa ex vitro, argilla, creta aliisve materiis confecta, quae facile frangantur. Quod valet etiam de metallis aliisque materiis, quae facile corrumpantur.[207]

[202] Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Dies Domini*, n. 36: AAS 90 (1998) p. 735; cf. etiam S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 27: AAS 59 (1967) p. 556.

[203] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Dies Domini*, praesertim n. 36: AAS 90 (1998) pp. 735-736; S. Congr. pro Cultu Divino, Instr., *Actio pastoralis:* AAS 61 (1969) pp. 806-811.

[204] Cf. *Codex Iuris Canonici*, cann. 905, 945-958; cf. Congr. pro Clericis, Decr., *Mos iugiter*, diei 22 februarii 1991: AAS 83 (1991), pp. 443-446.

[205] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 327-333.

[206] Cf. *ibidem*, n. 332.

[207] Cf. *ibidem*, n. 332; S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, n. 16: AAS 72 (1980) p. 338.

118. Vasa sacra, antequam usurpentur, a Sacerdote iuxta ritus in libris liturgicis praescriptos benedicenda sunt.[208] Laudabiliter benedictio ab Episcopo dioecesano impertitur, qui diiudicabit an vasa ad usum, cui destinantur, sint idonea.

119. Sacerdos, ad altare post distributionem Communionis reversus, stans ad altare vel ad abacum purificat patenam vel pyxidem super calicem, postea purificat calicem, iuxta Missalis praescripta, et calicem purificatorio absterget. Ubi adsit Diaconus, ille cum Sacerdote ad altare revertitur et vasa purificat. Licet tamen vasa purificanda, praesertim si sint plura, opportune cooperta, in altari vel in abaco super corporale relinquere eaque statim post Missam, populo dimisso, a Sacerdote vel Diacono purificari. Item acolythus rite institutus Sacerdotem vel Diaconum in vasis sacris purificandis et componendis sive ad altare sive ad abacum adiuvat. Absente Diacono, acolythus rite institutus vasa sacra ad abacum defert ibique more solito ea purificat, abstergit et componit.[209]

120. Curent pastores, ut sacrae mensae linteamina, et praesertim ea sacras species exceptura, candida iugiter serventur et iuxta traditos mores frequentius laventur. Laudabiliter ita fit, ut aquae ex prima ablutione, manu peragenda, in sacrarium ecclesiae vel super terram in loco decenti effundantur. Posthac denuo lavatio modo consueto peragi potest.

4. De vestibus liturgicis

121. « Diversitas colorum in sacris vestibus eo contendit, ut hinc proprietas mysteriorum fidei celebrandorum, hinc sensus progredientis vitae christianae, decursu anni liturgici, efficacius etiam exterius exprimatur ».[210] Diversitas vero « munerum in Eucharistiae celebratione exterius manifestatur diversitate sacrarum vestium ». Eaedem enim « sacrae vestes ad decorem quoque ipsius actionis sacrae conferant oportet ».[211]

[208] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 333; Appendix IV. *Ordo benedictionis calicis et patenae intra Missam adhibendus*, pp. 1255-1257; Pontificale Romanum *ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum*, Ordo Dedicationis ecclesiae et altaris, editio typica, diei 29 maii 1977, Typis Polyglottis Vaticanis, 1977, cap. VII, pp. 125-132.

[209] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 163, 183, 192.

[210] *Ibidem*, n. 345.

[211] *Ibidem*, n. 335.

122. « Alba circa lumbos cingulo astringenda » est, « nisi tali modo confecta sit, ut corpori adhaereat etiam sine cingulo. Antequam vero alba assumatur, si haec habitum communem circa collum non cooperit, amictus adhibeatur ».[212]

123. « Sacerdotis celebrantis vestis propria, in Missa aliisque sacris actionibus quae cum Missa directo conectuntur, est casula seu planeta, nisi aliud caveatur, super albam et stolam induenda ».[213] Item Sacerdos, qui casulam iuxta rubricas assumit, ne stolam omittat induendam. Vigilent omnes Ordinarii, ut omnis usus contrarius exstirpetur.

124. Facultas in Missali Romano datur, ut Sacerdotes Missam concelebrantes praeter principalem, qui semper casulam coloris praescripti induat, accedente iusta causa, v.gr. frequentiore concelebrantium numero et deficientia paramentorum, omittere possint « casulam seu planetam, adhibita stola super albam ».[214] Ubi tamen huiusmodi necessitas praevideri potest, huic quantum fieri potest provideatur. Concelebrantes praeter principalem possunt etiam ob necessitatem casulam coloris albi induere. Serventur de cetero normae librorum liturgicorum.

125. Diaconi vestis propria est dalmatica, super albam et stolam induenda. Ut servetur pulchra Ecclesiae traditio, laudabile est facultate dalmaticam omittendi non frui.[215]

126. Reprobandus est abusus, quo sacri ministri sanctam Missam, etiam participante uno tantum ministro, contra librorum liturgicorum praescripta sine vestibus sacris peragunt aut solam stolam super cucullam monasticam vel habitum communem religiosorum vel vestem ordinariam adhibent.[216] Curent Ordinarii, ut huiusmodi abusus quam citius corrigantur et in omnibus ecclesiis et oratoriis eorum iurisdictionis congrua copia vestium liturgicarum iuxta normas confectarum adsit.

127. Facultas peculiaris in libris liturgicis datur diebus sollemnioribus sacras vestes festivas seu nobiliores adhibendi, etsi non sunt coloris diei.[217] Quae tamen facultas, ad vestes abhinc multos annos confectas ob Ecclesiae

[212] Cf. *ibidem*, n. 336.
[213] Cf. *ibidem*, n. 337.
[214] Cf. *ibidem*, n. 209.
[215] Cf. *ibidem*, n. 338.
[216] Cf. S. Congr. pro Cultu Div., Instr., *Liturgicae instaurationes*, n. 8c: AAS 62 (1970) p. 701.
[217] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 346g.

patrimonium servandum proprie spectans, improprie ad innovationes extenditur, ita ut, amissis usibus traditis, formae et colores secundum singulorum propensionem adhibeantur et sensus istius normae in traditionis detrimentum auferatur. Occurrente die festo, sacrae vestes coloris aurei vel argentei illas varii coloris pro opportunitate substituere possunt, non tamen violaceas vel nigras.

128. Sacra Missa aliaeque celebrationes liturgicae, quae actio sunt Christi et populi Dei hierarchice constituti, ita ordinentur, ut sacri ministri atque fideles laici, eas pro sua condicione manifeste participent. Praestat ergo « Presbyteros, qui celebrationi eucharisticae intersunt, nisi iusta causa excusentur, munus proprii Ordinis de more exercere et proinde uti concelebrantes participare, sacris vestibus indutos. Secus habitum choralem proprium aut superpelliceum super vestem talarem gestant ».[218] Non decet, exceptis casibus in quibus rationabilis causa existat, eos quoad externa quasi fideles laicos Missam participare.

Caput VI

DE SS.MAE EUCHARISTIAE ASSERVATIONE DEQUE EIUS CULTU EXTRA MISSAM

1. De Sanctissimae Eucharistiae asservatione

129. « Celebratio Eucharistiae in Missae Sacrificio vere est origo et finis cultus, qui eidem extra Missam exhibetur. Sacrae vero species post Missam propterea praecipue asservantur, ut fideles, qui Missae interesse non possunt, praesertim infirmi et aetate provecti, per Communionem sacramentalem Christo eiusque sacrificio, quod in Missa immolatur, uniantur ».[219] Haec asservatio praeterea permittit etiam morem tantum Sacramentum adorandi eique cultum latriae, qui Deo debetur, tribuendi. Formae ergo quaedam cultus adorationis non solum privatae sed etiam publicae et communitariae ab ipsa Ecclesia institutae vel approbatae valde promoveantur oportet.[220]

[218] *Ibidem*, n. 114; cf. nn. 16-17.

[219] S. Congr. pro Cultu Div., Decr., *Eucharistiae sacramentum*, diei 21 iunii 1973: AAS 65 (1973) 610.

[220] Cf. *ibidem*.

130. « Pro cuiusque ecclesiae structura et iuxta legitimas locorum consuetudines, Sanctissimum Sacramentum asservetur in tabernaculo in parte ecclesiae pernobili, insigni, conspicua, decore ornata » et etiam ratione tranquillitatis loci, spatii ante tabernaculum, necnon copiae scamnorum seu sedilium atque genuflectoriorum, « ad orationem apta ».[221] Insuper ad omnes praescriptiones librorum liturgicorum et ad normam iuris diligenter attendatur,[222] speciatim ad vitandum periculum profanationis.[223]

131. Praeter praescripta can. 934 § 1, vetatur Sanctissimum Sacramentum in loco asservari, qui certae auctoritati Episcopi dioecesani non subiciatur vel ubi exstat periculum profanationis. Quo occurrente, Episcopus dioecesanus facultatem asservationis Eucharistiae iam concessam statim revocet.[224]

132. Ne quis Sanctissimam Eucharistiam domum vel alium in locum contra normam iuris ferat. Prae oculis insuper habendum est abductionem vel retentionem in sacrilegum finem aut abiectionem consecratarum specierum graviora esse delicta, quorum absolutio Congregationi pro Doctrina Fidei est reservata.[225]

133. Sacerdos vel Diaconus aut minister extraordinarius qui, absente vel impedito ministro ordinario, Sanctissimam Eucharistiam ad Communionem infirmo ministrandam defert, a loco, ubi Sacramentum asservatur, ad infirmi domicilium recto pro posse tramite omnique negotio profano omisso eat, ut omne periculum profanationis vitetur et maxima erga Corpus Christi reverentia servetur. Servandus insuper semper est ordo Communionis infirmorum administrandae sicut in Rituali Romano praescribitur.[226]

[221] Cf. S. Congr. Rituum, Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 54: AAS 59 (1967) p. 568; Instr., *Inter Oecumenici*, diei 26 septembris 1964, n. 95: AAS 56 (1964) pp. 877-900, hic p. 898; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 314.

[222] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Ep., *Dominicae Cenae*, n. 3: AAS 72 (1980) pp. 117-119; S. Congr. Rituum, Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 53: AAS 59 (1967) p. 568; *Codex Iuris Canonici*, can. 938 § 2; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, Praenotanda, n. 9; Missale Romanum, Institutio Generalis, nn. 314-317.

[223] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 938 §§ 3-5.

[224] S. Congr. de Disc. Sacram., Instr., *Nullo unquam*, diei 26 maii 1938, n. 10d: AAS 30 (1938) pp. 198-207, hic p. 206.

[225] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Ap. motu proprio datae, *Sacramentorum sanctitatis tutela*, diei 30 aprilis 2001: AAS 93 (2001) pp. 737-739; Congr. pro Doctrina Fidei, Ep. ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque Ordinarios et Hierarchas quorum interest: de delictis gravioribus eidem Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis: AAS 93 (2001) p. 786.

[226] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, nn. 26-78.

2. De aliquibus formis cultus Ss.mae Eucharistiae extra Missam

134. « Cultus Eucharistiae extra Missae sacrificium tributus est inaestimabilis cuiusdam pretii in Ecclesiae vita. Talis cultus arte cum eucharistici Sacrificii celebratione iungitur ».[227] Pietas ergo tum publica tum privata erga sanctissimam Eucharistiam etiam extra Missam vehementer inculcetur, qua a fidelibus Christus vere realiterque praesens adoratione colatur,[228] qui est « pontifex futurorum bonorum »[229] et universorum Redemptor. « Sacrorum est officium Pastorum sustentare, etiam vitae suae testificatione, cultum eucharisticum, praesertim expositionem sanctissimi Sacramenti, tum etiam adorantem commorationem coram Christo speciebus sub eucharisticis adstante ».[230]

135. « Visitationem sanctissimi Sacramenti » fideles « interdiu facere ne omittant, utpote quae erga Christum Dominum, in eodem praesentem, sit et grati animi argumentum et amoris pignus et debitae adorationis officium ».[231] Contemplatio enim Iesu in sanctissimo Sacramento praesentis, utpote communio desiderii, fidelem Christo valde sociat, ut de exemplo tot Sanctorum emicat.[232] « Nisi gravis obstet ratio, ecclesia in qua sanctissima Eucharistia asservatur, per aliquot saltem horas cotidie fidelibus pateat, ut coram sanctissimo Sacramento orationi vacare possint ».[233]

136. Ordinarius adorationem eucharisticam sive brevem sive protractam vel quasi continuatam, concurrente populo, impensius foveat. Recentioribus enim annis tot in « locis amplum cotidie spatium accipit Sanctissimi Sacramenti adoratio fitque inexhausta sanctitatis origo », quamvis sit etiam « ubi fere tota neglegentia cultus adorationis eucharisticae deprehendatur ».[234]

[227] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 25: AAS 95 (2003) pp. 449-450.

[228] Cf. Conc. Oecum. Trid., Sessio XIII, diei 11 octobris 1551, Decr. de Ss. Eucharistia, cap. 5: DS 1643; Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) p. 569; Paulus PP. VI, Litt. Enc., *Mysterium Fidei*, diei 3 septembris 1965: AAS 57 (1965) pp. 751-774, hic pp. 769-770; S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 3f: AAS 59 (1967) p. 543; S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, n. 20: AAS 72 (1980) p. 339; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 25: AAS 95 (2003) pp. 449-450.

[229] Cf. *Heb* 9, 11; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 3: AAS 95 (2003) p. 435.

[230] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 25: AAS 95 (2003) p. 450.

[231] Paulus PP. VI, Litt. Enc., *Mysterium fidei:* AAS 57 (1965) p. 771.

[232] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 25: AAS 95 (2003) pp. 449-450.

[233] *Codex Iuris Canonici*, can. 937.

[234] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 10: AAS 95 (2003) p. 439.

137. Sanctissimae Eucharistiae expositio semper iuxta praescripta librorum liturgicorum peragatur.[235] Ne excludatur coram sanctissimo Sacramento asservato vel exposito etiam coronae marialis precatio, «in sua simplicitate atque etiam altitudine»[236] miranda. Attamen, maxime cum fit expositio, huius precationis indoles utpote contemplatio mysterii vitae Christi Redemptoris et consilii salutis Patris omnipotentis, praesertim lectiones ex sacra Scriptura desumptas adhibendo, in luce ponatur.[237]

138. Numquam tamen debet sanctissimum Sacramentum expositum, etiam brevissime, sine sufficienti custodia manere. Proinde sic fiat, ut, temporibus statutis, aliqui christifideles saltem alternis vicibus semper adsint.

139. Ubi Episcopus dioecesanus ministros sacros vel alios ad hoc deputandos habet, ius est fidelium saepe sanctissimum Sacramentum Eucharistiae ad adorationem visitare et saltem aliquando decursu uniuscuiusque anni adorationem coram Sanctissima Eucharistia exposita participare.

140. Valde commendandum est, ut in urbibus vel civitatibus saltem maioribus Episcopus dioecesanus domum ecclesiae ad adorationem perpetuam designet, in qua tamen sacra Missa frequenter, quantum fieri potest etiam cotidie, celebretur, expositione stricte interrupta, dum Missa peragitur.[238] Convenit ut in Missa, quae tempus adorationis immediate praecedit, hostia adorationi exhibenda consecretur et in ostensorio super altare ponatur post Communionem.[239]

141. Ius christifidelium constituendi confraternitates vel consociationes ad adorationem etiam quasi continuatam peragendam Episcopus dioecesanus agnoscat et pro posse foveat. Quoties huiusmodi consociationes indolem internationalem praeseferunt, pertinet ad Congregationem de

[235] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, nn. 82-100; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 317; *Codex Iuris Canonici*, can. 941 § 2.

[236] Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Rosarium Virginis Mariae*, diei 16 octobris 2002: AAS 95 (2003) pp. 5-36, hic n. 2, p. 6.

[237] Cf. Congr. de Cultu Div. et Disc. Sacram., Litterae Congregationis diei 15 ianuarii 1997: *Notitiae* 34 (1998) pp. 506-510; Paenit. Ap., Litt. ad quemdam sacerdotem, diei 8 martii 1996: *Notitiae* 34 (1998) p. 511.

[238] Cf. S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 61: AAS 59 (1967) p. 571; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, n. 83; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 317; *Codex Iuris Canonici*, can. 941 § 2.

[239] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, n. 94.

Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum eas erigere vel earum statuta approbare.[240]

3. De processionibus et congressibus eucharisticis

142. « Episcopi dioecesani est de processionibus statuere ordinationes, quibus earum participationi et dignitati prospiciatur »,[241] et adorationem fidelium promovere.

143. « Ubi de iudicio Episcopi dioecesani fieri potest, in publico erga sanctissimam Eucharistiam venerationis testimonium habeatur, praesertim in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi, processio per vias publicas ducta »[242] quia pia « fidelium actio in eucharistica processione sollemnitatis Corporis et Sanguinis Christi exstat Domini gratia quae quotannis participes omnes laetitia replet ».[243]

144. Quamvis hoc alicubi fieri nequeat, oportet tamen ne pereat traditio processiones eucharisticas peragendi. Potius novi exquirantur modi easdem in hodiernis rerum adiunctis peragendi, v. gr. apud sanctuaria, in Ecclesiae possessionibus vel, annuente auctoritate civili, in hortibus publicis.

145. Magni aestimetur utilitas pastoralis Congressuum eucharisticorum, qui « verax fidei et caritatis signum sint oportet ».[244] Diligenter praeparentur et peragantur iuxta statuta,[245] ut Corporis et Sanguinis Dei Filii sacra mysteria christifideles digne venerentur et redemptionis fructum in se iugiter sentiant.[246]

[240] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Const. Ap., *Pastor bonus*, art. 65: AAS 80 (1988) p. 877.

[241] *Codex Iuris Canonici*, can. 944 § 2; cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, Praenotanda, n. 102; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 317.

[242] *Codex Iuris Canonici*, can. 944 § 1; cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, Praenotanda, nn. 101-102; Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 317.

[243] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 10: AAS 95 (2003) p. 439.

[244] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, Praenotanda, n. 109.

[245] Cf. *ibidem*, nn. 109-112.

[246] Cf. Missale Romanum, In sollemnitate sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi, Collecta, p. 489.

Caput VII

DE FIDELIUM LAICORUM OFFICIIS EXTRAORDINARIIS

146. Sacerdotium ministeriale substitui omnino non potest. Si enim deest in communitate Sacerdos, caret ipsa exercitio functionis sacramentalis Christi Capitis Pastorisque, quod ad ipsam essentiam vitae communitatis pertinet.[247] Quia « minister, qui in persona Christi sacramentum Eucharistiae conficere valet, est solus Sacerdos valide ordinatus ».[248]

147. Ubi tamen Ecclesiae necessitas id suadeat, deficientibus ministris sacris, possunt christifideles laici aliqua officia liturgica ad normam iuris supplere.[249] Tales fideles vocantur et deputantur ad certa officia gerenda, ipsaque tam gravia quam leviora, a Domini gratia sustentati. Quamplures iam christifideles laici ad hunc famulatum alacriter contulerunt et adhuc conferunt, praesertim in regionibus missionum, ubi Ecclesia adhuc parvae amplitudinis est vel in condicionibus persecutionis versatur,[250] sed etiam aliis in regionibus penuria Sacerdotum et Diaconorum affectis.

148. Magni praesertim aestimanda est institutio catechistarum, qui magnis laboribus singulare et omnino necessarium adiumentum contulerunt et conferunt ad dilatationem fidei et Ecclesiae.[251]

149. In aliquibus dioecesibus antiquioris evangelizationis recentius tamquam « assistentes pastorales », ut aiunt, deputati sunt christifideles laici, inter quos procul dubio quamplurimi Ecclesiae bono profuerunt actionem

[247] Cf. Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Theologica principia, n. 3: AAS 89 (1997) p. 859.

[248] *Codex Iuris Canonici*, can. 900 § 1; cf. Conc. Oecum. Lateran. IV., dierum 11-30 novembris 1215, cap. 1: DS 802; Clemens PP. VI, Ep. ad Mekhitar, Catholicon Armeniorum, *Super quibusdam*, diei 29 septembris 1351: DS 1084; Conc. Oecum. Trid., Sessio XXIII, diei 15 iulii 1563, Doctrina et canones de sacr. ordin., cap. 4: DS 1767-1770; Pius PP. XII, Litt. Enc., *Mediator Dei:* AAS 39 (1947) p. 553.

[249] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 230 § 3; Ioannes Paulus PP. II, Allocutio in Symposio habita «de laicorum cooperatione in ministerio pastorali presbyterorum», diei 22 aprilis 1994, n. 2: *L'Osservatore Romano*, 23 aprile 1994; Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Prooemium: AAS 89 (1997) pp. 852-856.

[250] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Redemptoris missio*, nn. 53-54: *AAS* 83 (1991) pp. 300-302; Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Prooemium: AAS 89 (1997) pp. 852-856.

[251] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, diei 7 decembris 1965, n. 17; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Redemptoris missio*, n. 73: AAS 83 (1991) p. 321.

pastoralem Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum expedientes. Caveatur tamen ne delineatio huius officii nimis ad formam ministerii pastoralis clericorum assimiletur. Curandum scilicet est ne « assistentes pastorales » sibi assumant quae ad ministerium sacrorum ministrorum proprie pertinent.

150. Assistentis pastoralis navitas eo tendat, ut Sacerdotum et Diaconorum ministerium expediatur, vocationes ad sacerdotium et diaconatum suscitentur atque ad normam iuris in unaquaque communitate christifideles laici ad varia officia liturgica iuxta varietatem charismatum sedulo praeparentur.

151. Solummodo ex vera necessitate recurrendum erit ad auxilium ministrorum extraordinariorum in Liturgiae celebratione. Hoc enim haud prospicitur, ut magis plenam laicorum participationem praestet, sed ex natura sua additicium ac provisorium est.[252] Ubi insuper ad ministrorum extraordinariorum officia ex necessitate recurritur, multiplicentur peculiares instantesque intercessiones, ut Dominus Sacerdotem in servitium communitatis mox mittat atque vocationes ad sacros ordines abundanter suscitet.[253]

152. Ne autem haec officia mere suppletiva tamquam occasio deformationis ipsius ministerii Sacerdotum ita evadant, ut hi celebrationem sanctae Missae pro populo eisdem commisso neque per seipsos sollicitudinem erga infirmos neque curam parvulos baptizandi vel Matrimoniis assistendi vel exsequias christianas celebrandi praetermittant, quae imprimis ad Sacerdotes Diaconis coadiuvantibus spectat. Ne ergo umquam fiat ut in paroeciis Sacerdotes indifferenter vices servitii pastoralis cum Diaconis vel laicis permutent, ita confundendo specificum uniuscuiusque.

153. Numquam insuper licet laicis partes vel vestes Diaconi vel Sacerdotis aut alias his vestibus similes sibi assumere.

1. De extraordinario sacrae Communionis ministro

154. Sicut iam memoratum est, « minister, qui in persona Christi sacramentum Eucharistiae conficere valet, est solus Sacerdos valide ordinatus ».[254] Unde nomen « minister Eucharistiae » proprie ad solum Sacerdotem spectat.

[252] Cf. Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 8 § 2: AAS 89 (1997) p. 872.

[253] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 32: AAS 95 (2003) p. 455.

[254] *Codex Iuris Canonici*, can. 900 § 1.

Sacrae etiam Ordinationis ratione, ministri ordinarii sanctae Communionis sunt Episcopus, Presbyter et Diaconus,[255] ad quos igitur in sanctae Missae celebratione spectat sacram Communionem christifidelibus laicis administrare. Sic recte et plene manifestetur eorum munus ministeriale in Ecclesia atque signum sacramenti compleatur.

155. Praeter ministros ordinarios exstat acolythus rite institutus, qui ex institutione minister est extraordinarius sacrae Communionis etiam extra Missae celebrationem. Si insuper id suadeant verae necessitatis rationes, potest ad hoc delegari ab Episcopo dioecesano, ad normam iuris,[256] etiam alius christifidelis laicus tamquam minister extraordinarius, ad actum vel ad tempus, adhibita in re apta benedictionis formula. Qui tamen actus deputationis non necessarie formam liturgicam habet, nec ullo modo, si habet, haec sacrae Ordinationi assimiletur. In casibus demum peculiaribus et inexpectatis, licentia potest dari «ad actum» a Sacerdote qui praeest eucharisticae celebrationi.[257]

156. Officium hoc stricte iuxta eius nomen intendatur, id est ministri extraordinarii sacrae Communionis, non autem «ministri specialis sacrae Communionis» neque «ministri extraordinarii Eucharistiae» neque «ministri specialis Eucharistiae», quibus nominibus eiusdem significatio indebite et improprie ampliatur.

157. Si de more adsit copia ministrorum sacrorum quae etiam ad distributionem sacrae Communionis sufficit, nequeunt ministri extraordinarii sacrae Communionis deputari. Talibus in adiunctis, ii qui ad eiusmodi ministerium deputati sint, ne idem exerceant. Reprobandus est usus illorum Sacerdotum, qui, licet celebrationi ipsi intersint, a Communione tamen distribuenda se abstinent, laicis id munus committentes.[258]

[255] Cf. *ibidem*, can. 910 § 1; cf. etiam Ioannes Paulus PP. II, Epist., *Dominicae Cenae*, n. 11: AAS 72 (1980) p. 142; Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 8 § 1: AAS 89 (1997) pp. 870-871.

[256] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 230 § 3.

[257] Cf. S. Congr. de Disc. Sacram., Instr., *Immensae caritatis*, prooemium: AAS 65 (1973) p. 264; Paulus PP. VI, Litt. Ap. motu proprio datae, *Ministeria quaedam*, diei 15 augusti 1972: AAS 64 (1972) p. 532; Missale Romanum, Appendix III: Ritus ad deputandum ministrum sacrae Communionis ad actum distribuendae, p. 1253; Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 8 § 1: AAS 89 (1997) p. 871.

[258] Cf. S. Congr. pro Sacram. et Cultu Div., Instr., *Inaestimabile donum*, n. 10: AAS 72 (1980) p. 336; Pont. Comm. Codicis Iuris Canonici Authen. Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 11 iulii 1984: AAS 76 (1984) p. 746.

158. Extraordinarius enim sacrae Communionis minister poterit Communionem ministrare solummodo cum Sacerdos vel Diaconus desunt, cum Sacerdos debilitate vel provecta aetate vel alia vera causa impeditur vel cum fidelium ad Communionem accedentium numerus tantus est, ut ipsa Missae celebratio nimis protrahatur.[259] Quod tamen ita intendatur, ut causa omnino insufficiens erit prolongatio brevis, secundum rerum et culturae loci adiuncta.

159. Extraordinario sacrae Communionis ministro numquam licet alium quempiam ad Eucharistiam ministrandam delegare, ut v.gr. parentem vel sponsum vel filium infirmi communicandi.

160. Episcopus dioecesanus praxim recentiorum annorum hac in re rursus ponderet et pro opportunitate corrigat vel pressius definiat. Ubi ex vera necessitate diffuse huiusmodi ministri extraordinarii deputantur, Episcopus dioecesanus oportet edat particulares normas, quibus, traditionem Ecclesiae prae oculis habens, ad normam iuris de hoc officio exercendo regulas statuat.

2. De praedicatione

161. Sicut iam dictum est, homilia ob suum momentum atque naturam Sacerdoti aut Diacono intra Missam reservatur.[260] Ad ceteras formas praedicationis quod attinet, si peculiaribus in adiunctis necessitas id requirat aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, ad praedicandum in ecclesia vel in oratorio extra Missam admitti possunt, ad normam iuris, christifideles laici.[261] Quod fieri potest solummodo ob exiguum sacrorum ministrorum numerum quibusdam in locis ad eosdem supplendos, nec converti licet a casu omnino exceptionis in rem ordinariam, nec intellegi debet uti authentica laicatus promotio.[262] Praeterea meminerint omnes facultatem ita permittendi ad Ordinarios loci et quidem ad actum, non autem ad alios, etiam Presbyteros vel Diaconos, spectare.

[259] Cf. S. Congr. de Disc. Sacram., Instr., *Immensae caritatis*, n. 1: AAS 65 (1973) pp. 264-271, hic pp. 265-266; Pont. Comm. Codici Iuris Canonici auth. Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 1 iunii 1988: AAS 80 (1988) p. 1373; Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 8 § 2: AAS 89 (1997) p. 871.

[260] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 767 § 1.

[261] Cf. *ibidem*, can. 766.

[262] Cf. Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 2 §§ 3-4: AAS 89 (1997) p. 865.

3. De celebrationibus peculiaribus, quae absente Sacerdote peraguntur

162. Ecclesia die, quae «dominica» nuncupatur, fideliter in unum convenit ad resurrectionem Domini commemorandam ac totum paschale mysterium praesertim per Missae celebrationem.[263] Etenim «nulla communitas christiana aedificatur nisi radicem cardinemque habeat in sanctissimae Eucharistiae celebratione».[264] Unde populus christianus ius habet, ut in suum favorem celebretur Eucharistia die dominica et festis de praecepto atque occurrentibus aliis maioribus diebus festis et, quantum fieri potest, etiam cotidie. Ideo, ubi die dominica in ecclesia paroeciali vel in alia christifidelium communitate difficulter Missae celebratio habeatur, Episcopus dioecesanus opportuna remedia una cum presbyterio perpendat.[265] Inter quas solutiones praecipuae erunt, ut alii Sacerdotes ad hoc vocentur aut fideles sese transferant in ecclesiam cuiusdam loci propinquioris ad eucharisticum mysterium ibi participandum.[266]

163. Sacerdotes omnes, quibus sacerdotium et Eucharistia «pro» ceteris est commissa,[267] meminerint sibi iniungi, ut fidelibus omnibus occasionem praebeant, qua praecepto Missam die dominica participandi satisfacere possint.[268] Ex parte sua, fideles laici ius habent, ut nullus sacerdos, nisi vera impossibilitas adsit, umquam recuset se Missam in favorem populi celebrare vel eam ab alio celebrari, si aliter praecepto Missam die dominica aliisque diebus statutis participandi satisfacere non possit.

164. «Si, deficiente ministro sacro aliave gravi de causa, participatio eucharisticae celebrationis impossibilis evadat»,[269] populus christianus ius ha-

[263] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Dies Domini*, praesertim nn. 31-51: AAS 90 (1998) pp. 713-766, hic pp. 731-746; Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Novo millennio ineunte*, diei 6 ianuarii 2001, nn. 35-36: AAS 93 (2001) pp. 290-292; Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 41: AAS 95 (2003) pp. 460-461.

[264] Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 6; cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, nn. 22, 33: AAS 95 (2003) pp. 448, 455-456.

[265] Cf. S. Rituum Congr., Instr., *Eucharisticum mysterium*, n. 26: AAS 59 (1967) pp. 555-556; Congr. pro Cultu Divino, Directorium de celebrationibus dominicalibus absente presbytero, *Christi Ecclesia*, diei 2 iunii 1988, nn. 5 et 25: *Notitiae* 24 (1988) pp. 366-378, hic pp. 367, 372.

[266] Cf. Congr. pro Cultu Divino, Directorium de celebrationibus dominicalibus absente presbytero, *Christi Ecclesia*, n. 18: *Notitiae* 24 (1988) p. 370.

[267] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Ep., *Dominicae Cenae*, n. 2: AAS 72 (1980) p. 116.

[268] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Ep. Ap., *Dies Domini*, n. 49: AAS 90 (1998) p. 744; Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 41: AAS 95 (2003) pp. 460-461; *Codex Iuris Canonici*, cann. 1246-1247.

[269] *Codex Iuris Canonici*, can. 1248 § 2; cf. Congr. pro Cultu Divino, Directorium de celebrationibus dominicalibus absente presbytero, *Christi Ecclesia*, nn. 1-2: *Notitiae* 24 (1988) p. 366.

bet, ut Episcopus dioecesanus pro posse curet celebrationem quamdam pro ipsa communitate die dominica sub eiusdem auctoritate et iuxta Ecclesiae statuta peragere. Huiusmodi tamen peculiares dominicales celebrationes semper omnino extraordinariae censendae sunt. Omnium ergo sive Diaconorum sive christifidelium laicorum, quibus pars in huiusmodi celebrationibus ab Episcopo dioecesano tribuitur, « erit cura ut vera Eucharistiae "fames" servetur, quae efficiat ut nulla Missam celebrandi amittatur occasio, adhibito etiam Sacerdote per occasionem interveniente, qui iure Ecclesiae quominus celebret non impeditur ».[270]

165. Oportet sedulo vitetur quaelibet confusio inter huiusmodi conventus et celebrationem eucharisticam.[271] Episcopi dioecesani igitur prudenter discernant an in his conventibus sacra Communio distribui debeat. Res opportune ob ampliorem coordinationem in Conferentia Episcoporum determinetur, ut, actis ab Apostolica Sede per Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum recognitis, ad effectum ducatur. Praeferendum insuper erit, absentibus et Sacerdote et Diacono, varias partes inter plures fideles distribui potius quam unus solus fidelis laicus totam celebrationem dirigat. Nec convenit umquam ut dicatur aliquem fidelem laicum celebrationi « praesidere ».

166. Item Episcopus dioecesanus, ad quem res solum pertinet, ne facile concedat, ut huiusmodi celebrationes, praesertim si in iis etiam sacra Communio distribuitur, fiant diebus ferialibus et imprimis in locis, ubi die dominica praecedenti vel sequenti Missa celebrari potuit vel poterit. Sacerdotes enixe rogantur, ut pro posse cotidie sanctam Missam in una ex ecclesiis ipsis commissis pro populo celebrent.

167. « Similiter nemo cogitare potest sanctam diei dominici Missam celebrationes oecumenicas Verbi substituere vel conventus precationis communis cum christianis pertinentibus ad [...] Communitates ecclesiales, vel etiam communicationem eorum liturgici ritus ».[272] Quod si Episcopus dioecesanus, necessitate urgente, ad actum participationem catholicorum permiserit,

[270] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 33: AAS 95 (2003) pp. 455-456.

[271] Cf. Congr. pro Cultu Divino, Directorium de celebrationibus dominicalibus absente presbytero, *Christi Ecclesia*, n. 22: *Notitiae* 24 (1988) p. 371.

[272] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 30: AAS 95 (2003) pp. 453-454; cf. etiam Pont. Cons. ad Christianorum Unitatem Fov., Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'oecuménisme, *La recherche de l'unité*, diei 25 martii 1993, n. 115: AAS 85 (1993) pp. 1039-1119, hic p. 1085.

pastores caveant ne inter fideles catholicos confusio de necessitate Missam de praecepto etiam his in adiunctis alia hora diei participandi oriatur.[273]

4. De iis, qui a statu clericali sunt dimissi

168. « Clericus qui statum clericalem ad normam iuris amittit », « potestatem ordinis exercere prohibetur ».[274] Huic igitur non licet sub ullo praetextu sacramenta celebrare, salvo tantum casu exceptionis iure statuto,[275] nec christifidelibus ad eum celebrationis causa recurrere, cum desit iusta causa quae ad normam can. 1335 id permittat.[276] Insuper hi viri nec homiliam teneant,[277] nec ullum munus aut officium in sacrae Liturgiae celebratione umquam assumant, ne confusio inter christifideles oriatur et veritas obscuretur.

Caput VIII

DE REMEDIIS

169. Ubi abusus in sacrae Liturgiae celebratione patratur, vera deprehenditur adulteratio liturgiae catholicae. Scripsit vero S. Thomas « vitium falsitatis incurrit qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum et in Ecclesia consuetum ».[278]

170. Ut remedium huiusmodi abusibus detur, id « quod maxime urget, formatio biblica et liturgica est populi Dei, pastorum et fidelium »,[279] ita ut Ecclesiae fides et disciplina quoad sacram Liturgiam recte praesententur et

[273] Cf. Pont. Cons. ad christianorum unitatem fov., Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'oecuménisme, *La recherche de l'unité*, n. 115: AAS 85 (1993) p. 1085.

[274] *Codex Iuris Canonici*, can. 292; cf. Pont. Cons. de Legum Textibus Interpr., Declaratio de recta interpretatione can. 1335, secundae partis, C.I.C., diei 15 maii 1997, n. 3: AAS 90 (1998) p. 64.

[275] Cf. *Codex Iuris Canonici*, cann. 976; 986 § 2.

[276] Cf. Pont. Cons. de Legum Textibus Interpr., Declaratio de recta interpretatione can. 1335, secundae partis, C.I.C., diei 15 maii 1997, nn. 1-2: AAS 90 (1998) pp. 63-64.

[277] Quod attinet ad sacerdotes qui a caelibatu dispensationem obtinuerunt, cf. S. Congr. pro Doctrina Fidei, Normae de dispensatione a sacerdotali caelibatu ad instantiam partis, *Normae substantiales*, diei 14 octobris 1980, art. 5; cf. etiam Congr. pro Clericis et aliae, Instr., *Ecclesiae de mysterio*, Practicae Dispositiones, art. 3 § 5: AAS 89 (1997) p. 865.

[278] S. Thomas Aquinas, *Summa Theol.*, II, 2, q. 93, a. 1.

[279] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Ap., *Vicesimus quintus annus*, n. 15: AAS 81 (1989) p. 911; cf. etiam Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 15-19.

intellegantur. Ubi tamen abusus persistunt, oportet procedatur in tutelam patrimonii spiritualis iuriumque Ecclesiae ad normam iuris, omnibus legitimis opibus adhibitis.

171. Inter varios abusus exstant qui obiective graviora delicta vel res graves constituunt, necnon alii qui nihilominus sedulo vitandi et corrigendi sunt. Illis omnibus prae oculis habitis, quae praesertim in Capite I huius Instructionis tractantur, attendendum est ad ea, quae hic sequuntur.

1. De gravioribus delictis

172. Graviora delicta contra sanctitatem augustissimi Eucharistiae Sacrificii et sacramenti iuxta « Normas de gravioribus delictis Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis » sunt tractanda,[280] videlicet:

a) abductio vel retentio in sacrilegum finem aut abiectio consecratarum specierum;[281]

b) attentatio liturgicae eucharistici Sacrificii actionis vel eiusdem simulatio;[282]

c) vetita eucharistici Sacrificii concelebratio una cum ministris Communitatum ecclesialium, qui successionem apostolicam non habent, nec agnoscunt ordinationis sacerdotalis sacramentalem dignitatem;[283]

d) consecratio in sacrilegum finem alterius materiae sine altera in eucharistica celebratione aut etiam utriusque extra eucharisticam celebrationem.[284]

[280] Cf. Ioannes Paulus PP. II, Litt. Ap. motu proprio datae, *Sacramentorum sanctitatis tutela:* AAS 93 (2001) pp. 737-739; Congr. pro Doctrina Fidei, Ep. ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque Ordinarios et Hierarchas quorum interest: de delictis gravioribus eidem Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis: AAS 93 (2001) p. 786.

[281] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 1367; Pont. Cons. de legum textibus Interpr., Responsio ad propositum dubium, diei 3 iulii 1999: AAS 91 (1999) p. 918; Congr. pro Doctrina Fidei, Ep. ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque Ordinarios et Hierarchas quorum interest: de delictis gravioribus eidem Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis: AAS 93 (2001) p. 786.

[282] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 1378 § 2 n. 1 et 1379; Congr. pro Doctrina Fidei, Ep. ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque Ordinarios et Hierarchas quorum interest: de delictis gravioribus eidem Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis: AAS 93 (2001) p. 786.

[283] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 908 et 1365; Congr. pro Doctrina Fidei, Ep. ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque Ordinarios et Hierarchas quorum interest: de delictis gravioribus eidem Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis: AAS 93 (2001) p. 786.

[284] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 927; Congr. pro Doctrina Fidei, Ep. ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque Ordinarios et Hierarchas quorum interest: de delictis gravioribus eidem Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis: AAS 93 (2001) p. 786.

2. De rebus gravibus

173. Quamvis iudicium de gravitate rei faciendum sit iuxta doctrinam communem Ecclesiae et normas ab ipsa statutas, inter res graves sunt semper obiective censenda quae validitatem et dignitatem sanctissimae Eucharistiae in discrimen adducunt, nempe contra illa quae supra in nn. 48-52, 56, 76-77, 79, 91-92, 94, 96, 101-102, 104, 106, 109, 111, 115, 117, 126, 131-133, 138, 153 et 168 illustrantur. Animadvertenda insuper sunt alia praescripta Codicis Iuris Canonici ac praesertim ea quae canonibus 1364, 1369, 1373, 1376, 1380, 1384, 1385, 1386 et 1398 statuuntur.

3. De aliis abusibus

174. Actiones insuper illae, quae contra ea alia patrantur, de quibus alibi hac in Instructione vel in normis iure statutis tractatur, leviter non sunt aestimandae, sed inter alios abusus sedulo vitandos et corrigendos adnumerentur.

175. Quae in hac Instructione exponuntur, ut patet, haud omnes contra Ecclesiam eiusque disciplinam referunt violationes, quae in canonibus, in legibus liturgicis atque in aliis normis Ecclesiae ob doctrinam Magisterii sanamve traditionem definiuntur. Ubi quid mali patratum est, corrigendum erit ad normam iuris.

4. De Episcopo dioecesano

176. Episcopus dioecesanus, « cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, iugiter annitatur ut christifideles suae curae commissi sacramentorum celebratione in gratia crescant utque paschale mysterium cognoscant et vivant ».[285] Ad ipsum pertinet, « intra limites suae competentiae, normas de re liturgica dare, quibus omnes tenentur ».[286]

177. « Ecclesiae universae unitatem cum tueri debeat, Episcopus disciplinam cunctae Ecclesiae communem promovere et ideo observantiam omnium legum ecclesiasticarum urgere tenetur. Advigilet ne abusus in ecclesiasticam

[285] *Codex Iuris Canonici*, can. 387.
[286] *Ibidem*, can. 838 § 4.

disciplinam irrepant, praesertim circa ministerium verbi, celebrationem sacramentorum et sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum ».[287]

178. Quoties exinde Ordinarius sive loci sive Instituti religiosi vel Societatis vitae apostolicae notitiam, saltem veri similem, habet de delicto aut abusu ad sanctissimam Eucharistiam quod attinet, caute inquirat, per se vel per alium idoneum clericum, facta et adiuncta et imputabilitatem.

179. Delicta contra fidem necnon graviora delicta in Eucharistiae ceterorumque sacramentorum celebratione commissa sine mora deferenda sunt ad Congregationem de Doctrina Fidei, quae ea « cognoscit, atque, ubi opus fuerit, ad canonicas sanctiones declarandas aut irrogandas ad normam iuris, sive communis sive proprii, procedit ».[288]

180. Secus Ordinarius procedat ad normam sacrorum canonum, poenas canonicas, ubi casus fert, applicans et sibi in memoriam particulari modo statuta can. 1326 revocans. Si de rebus gravibus agitur, Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum certiorem faciat.

5. De Sede Apostolica

181. Quoties Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum notitiam, saltem veri similem, habet de delicto aut abusu ad sanctissimam Eucharistiam quod attinet, Ordinarium de eo certiorem facit, ut rem inquirat. Ubi res gravis evadat, exemplar actorum de inquisitione facta et, ubi casus fert, de poena lata Ordinarius ad eundem Dicasterium quam primum mittat.

182. In casibus difficilioribus Ordinarius ob bonum Ecclesiae universalis, cuius sollicitudinem et ipse vi sacrae ordinationis participat, ne omittat rem praevie collatis consiliis cum Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum agere. Ex parte sua, eadem Congregatio, vigore facultatum ipsi a Pontifice Romano tributarum, iuxta casum Ordinario aderit, ei necessarias dispensationes concedens[289] vel instructiones seu praescripta communicans, quibus is diligenter obtemperet.

[287] *Ibidem*, can. 392.
[288] Ioannes Paulus PP. II, Const. Ap., *Pastor bonus*, art. 52: AAS 80 (1988) p. 874.
[289] Cf. *ibidem*, n. 63: AAS 80 (1988) p. 876.

6. De expostulationibus circa abusus in re liturgica

183. Modo omnino particulari omnes pro viribus faciant, ut sanctissimum Sacramentum Eucharistiae ab omni irreverentia et distortione defendatur et omnes abusus funditus corrigantur. Hoc quidem gravissimum est officium pro universis et singulis, et exclusa omni personarum acceptatione, omnes illud opus perficere teneantur.

184. Quilibet catholicus, sive Sacerdos sive Diaconus sive christifidelis laicus, ius habet querelam de abusu liturgico apud Episcopum dioecesanum vel Ordinarium competentem ei iure aequiparatum aut apud Sedem Apostolicam ob primatum Romani Pontificis deferendi.[290] Convenit tamen, ut, in quantum fieri potest, expostulatio seu querela primum Episcopo dioecesano exponatur. Semper vero hoc fiat in veritate et caritate.

CONCLUSIO

185. « Seminibus discidii inter homines quae cotidianum experimentum tam alte insita demonstrat humana in natura propter peccatum, opponitur vis generatrix unitatis corporis Christi. Aedificans enim Ecclesiam, Eucharistia hanc ipsam ob causam conciliat inter homines communitatem ».[291] Haec ideo Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum in votis habet, ut, etiam diligenti applicatione eorum, quae hac in Instructione in memoriam revocantur, fragilitas humana actioni ipsius sanctissimi Sacramenti Eucharistiae minus obstet et, quavis deformatione ablata, quovis usu reprobato submoto, per intercessionem Beatae Mariae Virginis, « mulieris eucharisticae »,[292] praesentia salvifica Christi in Sacramento Corporis et Sanguinis ipsius omnibus hominibus resplendeat.

186. Christifideles omnes sanctissimam Eucharistiam plene, conscie et actuose pro posse participent,[293] eam pietate et vitae conversatione amanter colant. Episcopi, Presbyteri et Diaconi, sacrum ministerium exercentes, conscientiam probent quoad veritatem et fidelitatem suarum actionum in nomine Christi et Ecclesiae in celebratione sacrae Liturgiae effectarum. Unusquis-

[290] Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 1417 § 1.

[291] Ioannes Paulus PP. II, Litt. Enc., *Ecclesia de Eucharistia*, n. 24: AAS 95 (2003) p. 449.

[292] *Ibidem*, nn. 53-58: AAS 95 (2003) pp. 469-472.

[293] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 14; cf. etiam nn. 11, 41 et 48.

que ministrorum sacrorum etiam cum severitate se interroget, an iura christifidelium laicorum observaverit, qui se suosque filios ipsi fidenter commendant, freti omnes pro fidelibus recte muneribus illis fungi, quae Ecclesia mandato Christi sacram Liturgiam celebrans explere intendit.[294] Quisque enim semper meminerit se esse sacrae Liturgiae servitorem.[295]

Contrariis omnibus quibuslibet non obstantibus.

Hanc Instructionem, a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum de mandato Summi Pontificis Ioannis Pauli II collatis cum Congregatione pro Doctrina Fidei consiliis exaratam, idem Pontifex die 19 mensis martii, in sollemnitate sancti Ioseph, anno 2004 comprobavit, eandem edi ac statim ab universis, ad quos pertinet, observari iussit.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Romae, die 25 mensis martii, in sollemnitate Annuntiationis Domini, anno 2004.

Franciscus card. Arinze
Praefectus

✠ Dominicus Sorrentino
Archiepiscopus a Secretis

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

ROMANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Nazarenae Majone (in saec.: Mariae), confundatricis Congregationis Filiarum Divini Zeli (1869-1939)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ora in me, Iesu, et ego offero tibi has precationes secundum voluntatem tuam peractas, ut omnium precationibus satisfaciam gloriamque ab omnibus creaturis debitam Patri reddam. Tibi, Iesu, animae meae sollicitudines trado... Qui nimis passus es, conquiesce: ego enim pro te patiar ».

[294] Cf. S. Thomas Aquinas, *Summa Theol.*, III, q. 64, a. 9 ad primum.
[295] Cf. Missale Romanum, Institutio Generalis, n. 24.

Haec oratio, e Matris Nazarenae «Scriptis» excerpta, exprimit praecipuam ac dominantem mentem: maxima scilicet divinae voluntati deditio, qua ipsius aedificium spiritale nititur. Ea in Divina Voluntate exquirenda, aliis aperte rebus abdicans, aliis magno animo studens, diu se exercuit, ductore beato Hannibale Maria Di Francia (1851-1927), eius moderatorem spiritalibus ac Fundatore. Cui «Voluntati» ingenium ea offerebat praestantissimum, quod fide, caritatis ardore bonorumque futurorum spe transfigurabat atque incitabat. Eius inclinatio omnia ad meliora referens orationisque pabulo sustentata ex ore renidenti perpetuo cumulabatur, quod quidem eam divinae signum caritatis, virginalis nempe maternitatis imaginem exemplo Virginis Mariae, quam constanter imitabatur, efficiebat. Nata est die 21 mensis Iunii anno 1869 in pago qui dicitur *Graniti* in agro Messanensi, genere piorum colonum, a quibus imbuta est initiis christianae doctrinae; quam postea auxit adulescentula per templi frequentationem Marialiumque Puellarum sodalicii, grave profecto tirocinium virtutis. Viginti annos nata vocatione incenditur, cum Sorores, quas Pater Hannibal in pagum *Graniti* pecuniam corrogatum miserat, mense Octobri anno 1889 obiret. Nam, cum videret et audiret loquentes de Instituto quodam Messanensis illius sacerdotis ope condendo, omnem statim ab animo moram dispellit, ita ut eas paulo post secuta sit. Regio, quae dicitur *Avignone* in suburbio Messanae, visa est Mariae tamquam specimen summae illius rerum externarum animique infelicitatis, quae saepe in medii ordinis civium sententia homines a societate detrusos notat. Non ita ei, quae ilico in peculiari praestantiorum bonorum ordine ea tempora et personas extulit: pueros videlicet derelictos, viros mulieresque in tuguriis constipatos ipsumque Patrem Hannibalem solum quidem, Deo tamen in tam magno rerum discrimine adhaerentem. Primordia pro Filiabus Divini Zeli et Rogationistis a Corde Iesu in signo beatitudinum notabantur, per summam egestatem sanctamque laetitiam, per preces Domino messis adhibitas pro innumeris mundi regionibus, illius *Avignone* consimilibus, quae Dominicis Operariis carebant, per sedulam caritatem perque maerores cum ultima plebe communicatas. Quae omnia illam deprehenderunt cum primitus commercii initium fecit cum illa peculiari compage, quam ilico amare incepit. Cumque alacer existeret nec ullo modo sibi parceret, Fundator vehementer commotus est, qui iam tum in ea summas Operis spes posuit. Quam admisit ad novitiatum et vota religiosa (nomine religionis Mariae Nazarenae a SS. Virgine) praefecitque primis Filiabus Divini Zeli, quae interea in Domo a Spiritu Sancto, haud longe a regione *Avignone*, ramo virili destinata, sedem collocaverant. Is donec vixit eam sine intermissione in viis spiritalibus sustentavit, in abnegatione corroboravit, in oboedientia et humilitate servavit, Dei voluntatem ut exquireret suadendo. Cum Tauromenii anno 1902 primae

Domus additiciae initium factum est, Mater Nazarena praefuit Communitati apud Spiritum Sanctum, iam Domum Matricem, simulque Summae Moderatricis manus suscepit. Serva Dei mulier fuit mitis ac fortis, fidelis ac efficienti vi praestans, strenua ac prudens. Ipsa in novis fundationibus, quae post terrae motum anni 1908 in Sicilia, Apulia, Romae alibique increbuerunt, operam navavit, pudentissime numquam a Patris Hannibalis latere discedens, eademque mutuae necessitudinis auctrix in orbas ac populares puellas, cum porro apostola existeret illius « Rogate », charismatis quod eam misericordem erga turbas derelictas, supplicem ac sollertem de Regni Dei fortuna, reddebat. Qui stimulus, de quo quantum votum nuncupaverat, eius pietatis cultum informabat quem filiabus indicabat. Fidei repleta cum religiosam familiam sibi commissam administraret, Dei tantum voluntatem expetebat, quacum optiones quotidianas aequaret, sollicita de filiarum suarum bono cum corporis tum animi. Cum assiduae orationis mulier existeret, intima animi intentio ei tribuebat suavitatem ab omnibus agnitam, quae huius mundi transeuntis relativitatem monstrare videbatur. Elata in Domino vivebat, tanquam Sponsa amorem Sponsi effundens, Cui Uni se dedere volebat, cum tamen eodem tempore adesset pauperibus hominibus, puellabus orbis, viris ac mulieribus vocatione destitutis. Infimam sacrarum virginum, ceteris minime praestantem omnium autem ministram se profitebatur, cum tamen in ordine « Sacrae servitutis » titulo floreret « Vicariae Virginis Immaculatae », quo una Summa Operis Moderatrix legitima atque immediata significaretur. Quae publica actio, die 8 mensis Decembris anno 1904 peracta, eius iter spiritale necnon religiosam administrationem penitus notavit. Primordiis illis Instituto virtus aegre sufficiebat, cum potius heroica vis postularetur: huiusmodi nempe est illud « Votum fiduciae », quo ipsa se offerebat ut omnia adversa, externa ac interna, humana ac inferna, toleraret. Onus « sperandi contra spem » eam usque ad consumptionem plenamque sui oblationem sustentavit. Haud mirum igitur si Fundator eam in munere prioris Summae Moderatricis retinuit usque ad annum 1927, quando morte correptus est, eamque voluisset confirmare in perpetuum de speciali Sanctae Sedis indulto. Quanti ille discipulam dilectissimam faceret, haec documento sunt quae moribundus professus est: « Mater Nazarena egregio animo est praedita, ipsaque simplex ut columba, nesciens quid simulatio, ambiguitas, calliditas sit ».

Labores, quos ipsa diu tulerat, illius valetudini obfuerunt; nam praeter diabetem aliosque morbos, voluntarie addidit corporis afflictationes et incommoda, ita ut infima monialium videretur. In Capitulo mense Martii anno 1928 celebrato, de administratione consulto detrusa est, non sine clandestinis consiliis et malevolentia, quae eius virtuti repugnabant. Quibus cum minime indulgeret, hilaris humilisque ut agnicula Domum Tauromenitanam admini-

strandam suscepit, inde, postquam anno 1932 Romam tamquam Vicaria generalis revocata est, relegata eaque quavis parte agendi destituta habita est. A ceteris segregata vixit, magis magisque in dies a semetipsa disiuncta huiusque mundi divitias relinquens, cum tamen in modum matris lacrimis tenus particeps esset, si quando filias suas laborantes Opusque graviter concussum aspiceret. Quae cum viventis lampadis instar pro tabernaculo tempus ageret, in suo ascetico itinere usque ad mysticos tremores pervenit, quibus donantur animae ad Dei mysterium propius accedentes. Quamdiu Romae vitam degit (annis videlicet 1934-1939), quasi scandit, laetans ut Isaac, aram qua candida victima una cum ipso, qui postea eam gloria redimiturus erat, immolaretur. Filiae eam Matrem, licet moleste latentem, sentiebant tamquam reliquias historicas, eamque sanctam prope Fundatorem atque cum eo confundatricem rami mulierum qui de « Rogate » stirpe germinaverat. Vita functa est die 25 mensis Ianuarii anno 1939, cum se pro « Victima ac Piaculo Amoris Misericordis » obtulisset. Serva Dei, quae adhuc vivens pro sancta habebatur, et post mortem fama sanctitatis circumdata est; quapropter, Filiabus Divini Zeli poscentibus, Vicariatus Urbis Causam beatificationis et canonizationis inivit. Vis iuridica Inquisitionis dioecesanae, annis 1992-1993 celebratae, agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 14 mensis Ianuarii anno 1994 latum. Positione confecta, in eodem Dicasterio disceptatum est secundum normas utrum Famula Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 9 mensis Maii anno 2003 habitus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 28 mensis Octobris eiusdem anni congregata, Exc.-mo D. Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, Causae Ponente, confessi sunt Matrem Mariam Nazarenam Majone virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse. Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Nazarenae Majone (in saec.: Mariae), Confundatricis Congregationis Filiarum Divini Zeli, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A. D. 2003.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VISENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Ritae Amatae a Iesu (in saec.: Ritae Lopes De Almeida), fundatricis Instituti Sororum a Iesu Maria et Ioseph (1848-1913)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis » (*1 Cor* 2, 12).

A Spiritu Domini illuminata, Serva Dei Rita Amata a Iesu (cui saeculare nomen Rita Lopes De Almeida) sensit se a Christo vocari ut Ipsi se totam consecraret. Ea igitur vitae suae cursum convertit in integram donationem Divino Redemptori, quem corde indiviso dilexit; utque ad Regnum eius propagandum operam navaret, novam familiam religiosam condidit, Institutum nempe Sororum a Iesu Maria et Ioseph, cuius praecipue esset infantes parentibus orbatos mulieresque vitiosa vita rerumque angustiis sublevare. Haec sponsa Christi nata est die 5 mensis Martii anno 1848 in loco *Ribafeita*, intra fines dioecesis Visensis in Lusitania, e parentibus colonis. Septimum fere annum agens, abducta est ad familiam quandam, quae illi facultatem negabat ut diebus dominicis Augustissimo Sacrificio interesset, quapropter fuga domum revertit. Mox recepta est apud nobilem quandam familiam Visensem, ibique primas litteras didicit. Studio animas ad Christum ducendi impulsa, christianae religionis elementa in sua paroecia docebat diversosque vicos peragrabat ubi Rosarium recitandum duceret perditosque ad bonam frugem revocaret. Vitas Sanctorum legere solebat eorumque virtutes imitari conabatur. Cum tandem vocationem ad vitam consecratam secum agitasset, anno 1877 ingressa est Portugallense monasterium Sororum a Caritate; a quo postquam recessit, statuit condere opus ad recipiendos infantes mulieresque tum vitiis deditas tum rerum externarum inopia laborantes. Anno 1880 igitur collegium aperuit in loco *Gumiei* intra fines paroeciae *Ribafeita*, quod tamquam primas gradus exstitit ad condendum Institutum a Iesu Maria et Io-

seph. Interea ipsa sub spiritali moderamine Patris Lapa e Societate Iesu, qui novae quoque communitatis religiosae futurus esset magister pietatis, se subiecerat. Paulo post aliae sociae eam sunt secutae in peculiari suimet Domino consecrandi ratione, quam ipsa sibi expetierat. Quae autem, dum consilium fundationis persequitur, acriter a rei publicae moderatoribus oppugnata est, nec alii defuerunt, etiam ecclesiastici viri, qui eius incepto minime indulgere viderentur. Quibus tamen difficultatibus ipsa animum submittere non tulit, confisa fore ut Dominus sibi auxilium praeberet ad propositum assequendum; quod quidem mense Maio anno 1902 iure pontificio sed in Lusitania pro Pia Unione tantum est probatum, cum inde ab anno 1834 Ordines religiosi essent ibi interdicti. Opus autem in plures dioeceses, nempe Visensem, Lamacensem, Aegitaniensem, Portugallensem et Portalegrensem, celeriter permanavit. Anno 1910 rerum perturbatio exorta effecit ut Lusitanum imperium popolare ediceretur, quod primis coeptibus abrupta adversos Ecclesiam contumacia notabatur: nam rei publicae moderatores, ubi primum magistratum inierant, omnes religiosas domos claudi iusserunt. Serva Dei, iam aetate provectior, domum confugit indeque, Emmanuele Damasceno da Costa episcopo adiuvante, ad tuendam perpetuitatem Instituti, quod ipsa per tot incommoda condiderat auxeratque, nonnullas suas religiosas mulieres in Brasiliam misit. Quae quidem in tanto discrimine ceterisque crebris impedimentis, eius navitati intervenientibus, subeundis fulta est fide inconcussa, quam aluit per assiduam orationem perque devotionem Eucharistiae, Cordi Iesu, Beatissimae Mariae Virgini Sanctoque Ioseph adhibitam. Voluntati Dei, quem ipsa ante omnia dilexit, semper firmo animo est assensa. Apostolico zelo flagrans, summis opibus enixa est ut propagaret revelatarum rerum cognitionem Magisteriique praecepta, cuius directoriis magno cum studio paruit. Omnibus actibus maiorem Dei gloriam animarumque salutem imprimis expetivit seque sollicitam praebuit etiam de egenorum necessitatibus; misericors porro et observans erga Sorores, liberali animo omnibus ignovit a quibus obtrectaretur. Cum denique pro certo haberet « omnia in hoc saeculo ad exitum pervenire, aeternitatem tantum numquam exigi » quemadmodum ipsa quibusdam litteris a se exaratis declaraverat, animam constanter ad bona caelestia convertit, quibus se tandem sperabat non propriis meritis, sed de infinita Dei misericordia esse potituram. Communitatem, quam ipsa fundaverat, sapienter direxit, omni tempore prudenter, iuste firmiterque agens. Ecclesiae legibus Institutique « Regulae » obtemperaras, plurimas fidenter aggressa est difficultates, alteras nempe in Instituto condendo offensas, alteras vero ex ardua rerum hominumque complexione exorientes in qua ipsa versabatur. Iam adulescentula Sanctorum castigationes imitari cupiebat perque reliquum vitae curriculum temperantia, qua et honestis rebus frueba-

tur, eminuit. Paupera eaque humilis ad instar Sacrae Familiae Nazarethanae exstitit, iis semper contenta rebus quas sibi a Providentia praeberentur. Moderatori spiritali ecclesiasticisque auctoritatibus oboedivit. Castitatem quoque exercuit atque ab omni periculo defendit. Postquam brevi tempore aegrotavit, in pauperrima habitatiuncula, a quibusdam benefactoribus commodata, animum edidit die 6 mensis Ianuarii anno 1913, spe confirmata se praemium, cuius semper desiderio flagraverat in terris, mox tandem in caelis esse adepturam. Cum fama sanctitatis pervagata exstaret, Episcopus Visensis Causam beatificationis et canonizationis inchoavit per Inquisitionem dioecesanam annis 1991-1994 peractam, dum insuper triplex Inquisitio Rogatorialis fieret in dioecesibus Aegitaniensi, Francopolitana et Sancti Mauri. Quarum omnium validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 7 mensis Aprilis anno 1995 latum. Positione confecta, disceptatum est, secundum normas, utrum Serva Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 13 mensis Maii anno 2003 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 11 mensis Novembris eiusdem anni convocata, audita relatione Exc.mi D.ni Hieronymi Grillo, Episcopi Centumcellarum-Tarquiniensis, Causae Ponentis, recognoverunt Servam Dei Ritam Amatam a Iesu virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse. Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Ritae Amatae a Iesu (in saec.: Ritae Lopes De Almeida), Fundatricis Instituti Sororum a Iesu Maria et Ioseph, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2003.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 10 Iulii 2004. — Cathedrali Ecclesiae Baghiopolitanae, noviter erectae, Exc.mum P.D. Carolum J. Cenzon, C.I.C.M., hactenus Episcopum titularem Scebatianensem et Vicarium Apostolicum Baghiopolitanum.

die 12 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sanctissimae Incarnationis Exc.mum P.D. Ignatium Gogorza Izaguirre, S.C.I. di Béth., hactenus Episcopum Urbis Orientalis.

— Cathedrali Ecclesiae Urbis Orientalis R.D. Rogerum Richardum Livieres Plano, e clero Praelaturae Personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, hactenus cappellanum institutionis pro pastorali cura iuventutis universitariae « Ykuá » eiusdem Prelaturae in civitate vulgo « Asunción ».

die 13 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Villaregensi R.D. Carolum Henricum Diez, e clero dioecesis Fuldensis, ibique in Facultate Theologica professorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 17 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Huancayensi Exc.mum P.D. Petrum Richardum Barreto Jimeno, S.I., hactenus Episcopum titularem Acufidensem et Vicarium Apostolicum Giennensem in Peruvia seu Sancti Francisci Xaverii.

die 21 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Fororaphaëliensi R.D. Eduardum Mariam Taussig, hactenus Theologiae in Universitate Catholica Argentina professorem atque directorem officii pro pastorali universitaria archidioecesis Bonaërensis.

COLLATIO DIGNITATIS ARCHIEPISCOPALIS

die 17 Iulii 2004. — Exc.mo P.D. Sławoj Leszek Głódź, Episcopo Ordinario Militari in Polonia, dignitas archiepiscopalis collata est.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il 14 e 15 agosto 2004 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Lourdes.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

31 luglio 2004 S.E. mons. Mario Roberto Cassari, Arcivescovo tit. di Tronto, *Nunzio Apostolico in Costa d'Avorio e in Burkina Faso.*

» » » Mons. Andrés Carrascosa Coso, Arcivescovo tit. el. di Elo, *Nunzio Apostolico nella Repubblica del Congo.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

21 giugno 2004 Gli Em.mi Signori Cardinali: Joseph Ratzinger, Alfonso López Trujillo, Eduardo Martínez Somalo, Jorge Arturo Medina Estévez, Darío Castrillón Hoyos; le LL.EE. i monsignori: Paul Josef Cordes, Joseph Serge Miot, Edmundo Luis Flavio Abastoflor Montero, Héctor Rubén Aguer, Nicolás Cotugno Fanizzi, *Consiglieri della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium » aut « usque ad 80um annum ae. ».*

» » » Le LL.EE. i monsignori Héctor Miguel Cabrejos Vidarte, Arcivescovo di Trujillo, José Guadalupe Martín Rábago, Vescovo di Léon, *Membri della Pontificia Commissione per l'America Latina « ad quinquennium ».*

» » » Le LL.EE. i monsignori Michael Louis Fitzgerald, Stanisław Ryłko, José Dimas Cedeño Delgado, Franz Grave, *Membri della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium ».*

» » » Mons. Romano Penna, don Alfonso C. Chacón Oreja, i padri Alfredo Simon, O.S.B., Giuseppe Phan Tan Thanh, O.P., Luigi Padovese, O.F.M., François-Marie Lethel, O.C.D., Alberto Valentini, S.M.M., Luigi Nuovo, C.M., *Consultori della Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium ».*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Eduardo Martínez Somalo *« usque ad 80um annum ae. s. »* e l'Ecc.mo Mons. Piergiorgio

			Silvano Nesti *« in aliud quinquennium », Membri della Congregazione delle Cause dei Santi.*
21	giugno	2004	I monsignori Joaquín Alonso Pacheco, Lorenzo Dattrino e Guido Mazzotta, i padri Antolín González Fuente, O.P., Francesco Costa, O.F.M. Conv., Ubaldo Terrinoni, O.F.M. Cap., Benito Goya Echeberría, O.C.D., Carlo Laudazi, O.C.D., Manuel Ruiz Jurado, S.I., i prof. Pietro Borzomati, Gian Ludovico Masetti Zannini, *Consultori della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*
28	»	»	Il padre Marian Babula, della Congregazione di San Michele Arcangelo, *Capo Ufficio nella Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica.*
18	luglio	»	Don Guido Gatti, S.D.B. e padre Giovanni Colombo, O.M.I., *Consiglieri della Penitenzieria Apostolica « ad quinquennium ».*
»	»	»	Le LL.EE. i monsignori Pio Vittorio Vigo, Arcivescovo-Vescovo di Acireale e Antonio Buoncristiani, Arcivescovo di Siena-Colle di Val d'Elsa-Montalcino, *Membri della Commissione episcopale per l'Almo Collegio Capranica « in aliud quinquennium ».*

Protonotari Apostolici soprannumerari

31	gennaio	2004.	Mons. Pedro Pascasio Estela (San Martín)
7	febbraio	»	Mons. Simeone Duca (Porto-Santa Rufina)
»	»	»	Mons. Nicolino Amedeo Merlo (Porto-Santa Rufina)
20	marzo	»	Mons. Stanislaw Jež (Tarnów)
25	»	»	Mons. Vincas Jonas Bartuška (Vilkaviškis)
30	»	»	Mons. Nicolae Lupea (Fagaras Si Alba Iulia dei Romeni)
12	aprile	»	Mons. William Victor Fuller (Ballarat)
»	»	»	Mons. Emigdio Piñeros Cárdenas (Zipaquirá)
4	maggio	»	Mons. James P. Kelly (Rockville Centre)
»	»	»	Mons. Adam Stanios (Radom)
27	»	»	Mons. Josip Bandera (Krk)
»	»	»	Mons. Anatólio Brasil Pompeu (Bragança Paulista)
31	»	»	Mons. Stanisław Feliks Strzelecki (Bialystok)
»	»	»	Mons. Mieczysław Jerzy Swidziniewski (Bialystok)
1	giugno	»	Mons. Ludan Lamza (Fulda)
9	»	»	Mons. James O. Barta (Dubuque)
»	»	»	Mons. W. Dean Walz (Dubuque)
»	»	»	Mons. David A. Wheeler (Dubuque)
11	»	»	Mons. Rodolfo José O'Neill (La Plata)
19	»	»	Mons. Antonio Kochanski (Elk)
»	»	»	Mons. Edmundus Stephanus Lagód (Elk)
21	»	»	Mons. Lorenzo López-Cubero Jiménez (Córdoba en Spagna)

Prelati d'onore di Sua Santità

10	gennaio	2004	Il sac. Ladislav Ceri (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. Julius Koller (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. Aldo Passerini (Como)
»	»	»	Il sac. Angelo Riva (Como)
»	»	»	Il sac. Carlo Spazzi (Ancona-Osimo)
»	»	»	Il sac. Hans Walter Vavrovsky (Salzburg)
16	»	»	Il sac. Alberto Atienza Huerta (Palencia)
»	»	»	Il sac. Felix Bernard (Osnabrück)
»	»	»	Il sac. Bernardus Henricus Joseph Kasteel (Lubbock)
»	»	»	Il sac. José Mariscal Arranz (Palencia)
»	»	»	Il sac. Ángel Sancho Campo (Palencia)
26	»	»	Il sac. Julius Kormos (Eger)
31	»	»	Il sac. Alfredo Cantalini (L'Aquila)
7	febbraio	»	Il sac. Alberto Mazzola (Porto-Santa Rufina)
21	»	»	Il sac. Gerard Maximillian Lopez (San Bernardino)
»	»	»	Il sac. Celso Rodríguez Fernández (Tui-Vigo)
4	marzo	»	Il sac. Tedé Lucien Chambeny (Natitingou)
9	»	»	Il sac. José Gutiérrez Mora (Sevilla)
»	»	»	Il sac. Camilo Olivares Gutiérrez (Sevilla)
11	»	»	Il sac. Roberto Teodoro Amondarain (Zárate-Campana)
»	»	»	Il sac. Mark Ernstmann (Springfield-Cape Girardeau)
»	»	»	Il sac. Stephen Schneider (Springfield-Cape Girardeau)
12	»	»	Il sac. Matthias Hribernik (Gurk)
20	»	»	Il sac. František Kohlícek (Praha)
»	»	»	Il sac. Bernard Savourat (Troyes)
25	»	»	Mons. Stanisław Gebka (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Jan Kowalski (Częstochowa)
»	»	»	Mons. Robert J. Siffrin (Youngstown)
30	»	»	Il sac. Maximilian Barna (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Augustin Ciungan (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Vasile Gherman (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Vasile Mare (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Octavian Moisin (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Mons. Celso Morga Iruzubieta (Calahorra y La Calzada Logroño)
»	»	»	Il sac. Ioan Muntean (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Ioan Popa (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Teodor Racovitan (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Ioan Rosca (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
»	»	»	Il sac. Eugen Sârbu (Fagaras si Alba Iulia dei Romeni)
4	aprile	»	Mons. Edward Bober (Legnica)
»	»	»	Il sac. Francis Vincent Cilia (San Jose in California)
»	»	»	Il sac. John J. Darcy (Providence)
»	»	»	Il sac. Robert Donnelly (Antigonish)
»	»	»	Il sac. John Hugh Aloysius Gillis (Antigonish)
»	»	»	Il sac. Conrad Polycarp Girroir (Antigonish)
»	»	»	Il sac. Joseph Heigl (Augsburg)
»	»	»	Mons. Wladysław Józków (Legnica)

4	aprile	2004	Il sac. Tadeusz Jurek (Legnica)
»	»	»	Il sac. Erich Lidel (Augsburg)
»	»	»	Mons. Józef Srtrugarek (Legnica)
15	»	»	Il sac. Fabio Reynaldo Colindres Abarca (El Salvador)
»	»	»	Il sac. George Kwame Kumi (Sunyani)
»	»	»	Il sac. Seth Osei Agyemang (Sunyani)
21	»	»	Il sac. Corrado Pasquantonio (Sulmona-Valva)
1	maggio	»	Il sac. James Arumanayakam (Neyyattinkara)
»	»	»	Il sac. André Dubled (Amiens)
4	»	»	Mons. Wacław Depo (Radom)
»	»	»	Mons. Stanisław Pindera (Radom)
17	»	»	Mons. Vytautas Steponas Vaiciunas (Kaunas)
27	»	»	Il sac. José Herculano Arruda (Bragança Paulista)
1	giugno	»	Il sac. Artur Matuszek (Praha)
9	»	»	Il sac. Lyle Lawrence Wilgenbusch (Dubuque)
11	»	»	Mons. Fèlix Guàrdia i Torrents (Vic)
»	»	»	Mons. Josep Jutglà i Caralt (Vic)
14	»	»	Il sac. Joseph Masande (Dedza)
21	»	»	Il sac. Alonso García Molano (Córdoba en Spagna)
»	»	»	Il sac. Remigio Romero Mogrovejo (Azogues)
25	»	»	Mons. Franco Coppola (Otranto)
30	»	»	Mons. Marek Solczynski (Warszawa)

Cappellani di Sua Santità

3	gennaio	2004	Il sac. Józef Kania (Kraków)
»	»	»	Il sac. Stanisław Murzyn (Kraków)
10	»	»	Il sac. László Burián (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. Peter Dobos (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. Marian Dragún (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. Benedito Gil Claro (Taubaté)
»	»	»	Il sac. Franz Guggenberger (Salzburg)
»	»	»	Il sac. Carlos Kiesewetter (Blumenau)
»	»	»	Il sac. Giuseppe Longhini (Como)
»	»	»	Il sac. Ján Pavcír (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. František Procházka (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. Imrich Šišulák (Bratislava-Trnava)
»	»	»	Il sac. Francisco Vinaixa Monsonís (Valencia)
»	»	»	Il sac. Saverio Xeres (Como)
»	»	»	Il sac. František Žák (Bratislava-Trnava)
16	»	»	Il sac. Giancarlo Crovetto (Chiavari)
»	»	»	Il sac. Eugene Joseph Driscoll (Lubbock)
»	»	»	Il sac. Benito Espínola Díaz (Villarrica del Espíritu Santo)
»	»	»	Il sac. Matthias Kanyerezi (Kasana-Luweero)
»	»	»	Il sac. Tarcisio Livietti (Milano)
»	»	»	Il sac. Eulogio Montiel Ramos (Villarrica del Espíritu Santo)
»	»	»	Il sac. Jan Piotrowski (Tarnów)
26	»	»	Il sac. Aldo de Melo Brandão (Penedo)
»	»	»	Il sac. Ladislaus Ficzek (Eger)

26	gennaio	2004	Il sac. José Antônio Neto (Penedo)
»	»	»	Il sac. Afrânio Pinheiro Bezerra (Penedo)
»	»	»	Il sac. Stephanus Szarvas (Eger)
»	»	»	Il sac. José Theisen (Penedo)
31	»	»	Il sac. José Luis Ezquerra Arana (San Martín)
»	»	»	Il sac. Isidro Farrés Vilaró (San Martín)
»	»	»	Il sac. Giuseppe Gianorio (L'Aquila)
»	»	»	Il sac. Enrique Gilabert (San Martín)
»	»	»	Il sac. Luigi Imperato (Napoli)
»	»	»	Il sac. Onorato Lorenzón (San Martín)
»	»	»	Il sac. Nestore Mattei (L'Aquila)
»	»	»	Il sac. Nello Palloni (Perugia-Città Della Pieve)
»	»	»	Il sac. Osvaldo Ludovico Tonetto (San Martín)
»	»	»	Il sac. Davide Tonti (Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado)
4	febbraio	»	Il sac. Héctor Tomás Gómez Mendoza (Guadalajara)
»	»	»	Il sac. Domenico Giannandrea (Porto-Santa Rufina)
»	»	»	Il sac. Paolo Perla (Porto-Santa Rufina)
»	»	»	Il sac. Giovanni Maria Righetti (Porto-Santa Rufina)
21	»	»	Il sac. Edward John Connolly (San Bernardino)
»	»	»	Il sac. Leonardo D'Ascenzo (Velletri-Segni)
»	»	»	Il sac. Higinio González Córdova (Tepic)
»	»	»	Il sac. Johann Hörist (Eisenstadt)
»	»	»	Il sac. Angelo Mancini (Velletri-Segni)
»	»	»	Il sac. John Aloysius Ryan (San Bernardino)
1	marzo	»	Il sac. Vincas Baublys (Kaišiadorys)
»	»	»	Il sac. Hans Brabeck (Köln)
»	»	»	Il sac. Juozas Dabravolskas (Kaišiadorys)
»	»	»	Il sac. Jonas Dalinevicius (Kaišiadorys)
»	»	»	Il sac. André Desroches (Montréal)
»	»	»	Il sac. Terence F. D'Souza (Toronto)
»	»	»	Il sac. Herbert Hautmann (Bamberg)
»	»	»	Il sac. Marco Laurencic (Toronto)
»	»	»	Il sac. Anthony Robert Nusca (Toronto)
»	»	»	Il sac. Ambrose E. Sheehy (Toronto)
»	»	»	Il sac. Joseph D. Shiels (Toronto)
2	»	»	Il sac. Waldemar Stanislaw Sommertag (Pelplin già Chelmno)
9	»	»	Il sac. Ilario Bartolomei (Lucca)
»	»	»	Il sac. Michele Guidotti (Lucca)
»	»	»	Il sac. Erwin Hausladen (Monaco)
»	»	»	Il sac. Ryszard Iwan (Lublin)
»	»	»	Il sac. Eugeniusz Kazimierczak (Lublin)
»	»	»	Il sac. Sigismundus Lubieniecki (Opole)
»	»	»	Il sac. Sirio Niccolai (Lucca)
»	»	»	Il sac. Bruno Peschiera (Lucca)
»	»	»	Il sac. Samuele Tognarelli (Lucca)
»	»	»	Il sac. Fabio Unti (Lucca)
10	»	»	Il sac. Giuseppe Tonello (Roma)
11	»	»	Il sac. Ramón Antonio Abreu Suriel (La Vega)
»	»	»	Il sac. Fredi González y González (La Vega)

11	marzo	2004	Il sac. Gino Moretti (Arezzo-Cortona-Sansepolcro)
20	»	»	Il sac. Tadeusz Brzegowy (Tarnów)
»	»	»	Il sac. Vincenzo Rini (Cremona)
»	»	»	Il sac. Antonio Verrastro (Potenza-Muro Lucano-Marsico Nuovo)
»	»	»	Il sac. Pasquale Zuardi (Potenza-Muro Lucano-Marsico Nuovo)
»	»	»	Il sac. Antoni Žurek (Tarnów)
25	»	»	Il sac. Francis Jamieson (Arabia)
»	»	»	Il sac. Wlodzimierz Kowalik (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Jerzy Kuliberda (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Marek Kundzicz (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Aleksander Kutynia (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Krzysztof Skubala (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Jarosław Sroka (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Marian Stochnialel (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Marian Wojcieszak (Częstochowa)
»	»	»	Il sac. Zdzisław Wójcik (Częstochowa)
26	»	»	Il sac. Alexander Baran (Winnipeg degli Ucraini)
»	»	»	Il sac. Ignácio Barreiro Carámbula (Anápolis)
»	»	»	Il sac. Ivônio Cassiano de Oliveira (Paraíba)
»	»	»	Il sac. Guillermo Olmos Olmos (Zipaquirá)
»	»	»	Il sac. Desiderio Orjuela Orjuela (Zipaquirá)
»	»	»	Il sac. Jorge Hermán Quinbay Rodríguez (Zipaquirá)
28	»	»	Il sac. Jaelson Alves de Andrade (Paraíba)
»	»	»	Il sac. Robson Bezena de Mello (Paraíba)
»	»	»	Il sac. Raimundo Noberto da Silva (Paraíba)
4	aprile	»	Il sac. Wiesław Brachuc (Legnica)
»	»	»	Il sac. Martin Bummele (Augsburg)
»	»	»	Il sac. Franz-Reinhard Daffner (Augsburg)
»	»	»	Il sac. Józef Frac (Legnica)
»	»	»	Il sac. Thomas Gerstlacher (Augsburg)
»	»	»	Il sac. Franz Götz (Augsburg)
»	»	»	Il sac. Bronisław Krylowski (Legnica)
»	»	»	Il sac. Stanisław Zdzislaw Ksiazek (Legnica)
»	»	»	Il sac. Karl Mair (Augsburg)
»	»	»	Il sac. Ryszard Matuszak (Legnica)
»	»	»	Il sac. Salvatore Petrella (Acena)
»	»	»	Il sac. Walter Rau (Augsburg)
»	»	»	Il sac. Anton Schmid (Augsburg)
»	»	»	Il sac. Andrzej Tracz (Legnica)
»	»	»	Il sac. Zbigniew Tracz (Legnica)
»	»	»	Il sac. Ryszard Uryga (Legnica)
6	»	»	Il sac. Melchor José Sánchez de Toca Y Alameda (Toledo)
12	»	»	Il sac. Elías Atehortúa Concha (Ocaña)
»	»	»	Il sac. Carlos Julio Castro Lanziano (Ocaña)
15	»	»	Il sac. Francisco Alejandro Gil Zapata (Cabimas)
24	»	»	Il sac. José Osanan De Almeida Maia (Montes Claros)
»	»	»	Il sac. Franciszek Dudka (Siedlce)
»	»	»	Il sac. Stefano Gagliardi (Chiavari)

24	aprile	2004	Il sac. Mieczysław Glowacki (Siedlce)
27	»	»	Il sac. Emilio Silvestrini (Roma)
1	maggio	»	Il sac. Robert Amey (Washington)
»	»	»	Il sac. Gustavo Franco Baena (Cartago)
»	»	»	Il sac. Patrick Michael Braukin (Tulsa)
»	»	»	Il sac. Patrick John Gaalaas (Tulsa)
»	»	»	Il sac. Vittorio Gepponi (Arezzo-Cortona-Sansepolcro)
»	»	»	Il sac. Gregory A. Gier (Tulsa)
»	»	»	Il sac. Guido Griffo (Baneiras)
»	»	»	Il sac. Daniel Henry Mueggenborg (Tulsa)
»	»	»	Il sac. Charles Pany (Washington)
»	»	»	Il sac. John Pennington (Washington)
»	»	»	Il sac. Leandro Demetrio Tagliaferro (Basel)
»	»	»	Il sac. Livinus Ukah (Lagos)
4	»	»	Il sac. Sátiro Benevenuto de Araujo (Garanhuns)
»	»	»	Il sac. José do Patrocínio dos Santos (Garanhuns)
»	»	»	Il sac. Tadeusz Jedra (Radom)
»	»	»	Il sac. Jerzy Karbownik (Radom)
»	»	»	Il sac. Stanisław Kula (Radom)
»	»	»	Il sac. Stanisław Madej (Radom)
»	»	»	Il sac. Stanisław Mnich (Radom)
»	»	»	Il sac. Jan Niziolek (Radom)
»	»	»	Il sac. Józef Pawlik (Radom)
»	»	»	Il sac. Severino Pereira da Silva (Garanhuns)
»	»	»	Il sac. Edward Poniewierski (Radom)
»	»	»	Il sac. Grzegorz Senderski (Radom)
»	»	»	Il sac. Otoniel Siqueira Passos (Garanhuns)
»	»	»	Il sac. Adam Socha (Radom)
»	»	»	Il sac. Stanisław Suwala (Radom)
»	»	»	Il sac. Wojciech Szary (Radom)
»	»	»	Il sac. Wiesław Taraska (Radom)
»	»	»	Il sac. Juan Fernando Usma Gómez (Medellín)
»	»	»	Il sac. Bruno Vercesi (Roma)
»	»	»	Il sac. Jan Wojtan (Radom)
10	»	»	Il sac. Walter Robert Rossi (Scranton)
17	»	»	Il sac. Adolfas Grusas (Kaunas)
»	»	»	Il sac. Arfaras Jagelavicius (Kaunas)
27	»	»	Il sac. Rosario Bacile (Monreale)
»	»	»	Il sac. Vincenzo Canelli (Cerreto Sannita-Telese-Sant'Agata de' Goti)
»	»	»	Il sac. José Corrêa (Bragança Paulista)
»	»	»	Il sac. José Antonio De Carvalho (Bragança Paulista)
»	»	»	Il sac. Miguel Delgado Galindo (Opus Dei)
»	»	»	Il sac. Antonino Dolce (Monreale)
»	»	»	Il sac. Francis Kohn (Paris)
»	»	»	Il sac. Luigi Marrucci (Volterra)
»	»	»	Il sac. Heinrich Peters (Essen)
»	»	»	Il sac. Benigno Sáenz Rabiza (Coro)
»	»	»	Il sac. Girolamo Soresi (Monreale)

27	maggio	2004	Il sac. Peter Walbrunn (Essen)
28	»	»	Il sac. Marián Feduš (Rožňava)
»	»	»	Il sac. Vendelín Pleva (Rožňava)
29	»	»	Il sac. Mauro Belletti (Gorizia)
31	»	»	Il sac. Józef Zabielski (Bialystok)
3	giugno	»	Il sac. Christophe-Zakhia El-Kassis (Bahut dei Maroniti)
9	»	»	Il sac. Herbert Kuglstatter (München und Freising)
»	»	»	Il sac. Hans Georg Lindenberger (München und Freising)
»	»	»	Il sac. Silvano Mantovani (Verona)
11	»	»	Il sac. Dominic Vincent Adama (Idah)
»	»	»	Il sac. Abel Shigiri Bida (Idah)
»	»	»	Il sac. John Imhoghemhe Iyere (Idah)
»	»	»	Il sac. Ivo Mancini (San Marino-Montefeltro)
»	»	»	Il sac. Francesco Pisciotta (Patti)
»	»	»	Il sac. Antonio Segatto (Treviso)
»	»	»	Il sac. James Uzonwanne (Idah)
14	»	»	Il sac. Tony Anatrella (Paris)
19	»	»	Il sac. Emmanuel Okon Idem (Calabar)
»	»	»	Il sac. Michael Offiong (Calabar)
»	»	»	Il sac. Patrick Akan Inyene Basil Okure (Calabar)
»	»	»	Il sac. Emmanuel Okon Umoetok (Calabar)
»	»	»	Il sac. Gregory Joseph van Dyk (Bethlehem)
21	»	»	Il sac. Antonio Evans Martos (Córdoba en Spagna)
»	»	»	Il sac. Pedro Gómez Camillo (Córdoba en Spagna)
»	»	»	Il sac. Rainer Hintzen (Köln)
»	»	»	Il sac. Antonio Jurado Torrero (Córdoba en Spagna)
»	»	»	Il sac. Carlos Linares Delgado (Córdoba en Spagna)
»	»	»	Il sac. František Polášek (Olomouc)
»	»	»	Il sac. Vojtech Šíma (Olomouc)
22	»	»	Il sac. Cormac Burke (Opus Dei)
25	»	»	Il sac. Giovanni Gaspari (Pescara-Penne)

Si rende noto che mons. Vittorio Gepponi è stato nominato Vicario giudiziale aggiunto del Tribunale d'Appello eretto presso il Vicariato di Roma, a norma delle vigenti disposizioni.

NECROLOGIO

30	giugno	2004	Mons. Paul Nordhues, Vescovo tit. di Cos.
4	luglio	»	Mons. Henri Derouet, Vescovo em. di Arras (*Francia*).
2	»	»	Mons. Marcel Chauvin, Vescovo em. di Fada N'Gouma (*Burkina Faso*).
16	»	»	Mons. Edmund J. Fernando, Vescovo em. di Badulla (*Sri Lanka*).
»	»	»	Mons. Antonio V. Bommarco, Arcivescovo em. di Gorizia (*Italia*).
17	»	»	Mons. Johannes Georg Braun, Vescovo tit. di Puzia di Bizacena.
19	»	»	Mons. Henri Légaré, Arcivescovo em. di Grouard-McLennan (*Canada*).
21	»	»	Mons. Adrien A. Cimichella, Vescovo tit. di Quiza.